


H... cesis Posnaniensis.

Ep. Posn.

...astoralis ad universum clerum et populum ejusdem dioecesis.

EPISTOLA PASTORALIS

CELSISSIMI PRINCIPIS

ac DOMINI



D. THEODORI


DUCIS in Klewan & Zukow

CZARTORYSKI

EPISCOPI Posnaniensis.

Ad universum Clerum & populum ejusdem Dioecesis.

MDCCXXXIX.



VARSAVIÆ

Typis S.R.M. & Reipublicæ: in Collegio *Scholarum Piarum*.

J M. Stanislai Mameżynski ... Libror. p. Dioecesim ... Synodalis Censoris ... Academiae Directoris

Inſta opportunè, importunè; argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.

2. *Timoth.* 4.

Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.

Math. 18.

Quales ſumus verbo per Epiſtolas abſentes, tales & præſentes in facto.

2. *Cor.* 10.



THEODORUS
DUX in Klewan & Zukow
CZARTORYSKI,
DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ EPISCOPUS Poſnanienſis.

Pròëmium.

UNiverſo Diœceſis Noſtræ Poſnanienſis Clero, tàm ſæculari quàm Regulari, atq; populo; Fratribus ac filijs in CHRISTO dilectis, Salutem & Paſtoralem Benedictionem. Epiſcopalis ſolicitudinis, quam DEO diſponente, meritis licet imparibus ſuſcepimus, officium exigit, ut creditum Nobis Dominicum gregem, quem paterno prorſus amore complectimur, à noxijs quibuſvis præſervantes, ad paſcua vitæ æternæ dirigere, eiq; viam bonam per quam ambulet, (*a*) ſalutaribus videlicet monitis & doctrinis oſtendere, quantùm in Domino poſſumus ſatagamus. Illud ſanè eſt, quod in hac, quam ad Vos Prædeceſſorum Noſtrorum, maximè verò *Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini* recolendæ memoriæ *MICHAELIS BARTHOLOMÆI TARŁO Epiſcopi Poſnanienſis* (1) veſtigijs inhærentes dirigimus Epiſtola, peragere aggredimur (*b*) hujus rei gratiâ, flectentes genua Noſtra ad Patrem Domini Noſtri JESU Chriſti, ut det vobis ſecundum divitias gloriæ ſuæ virtute corroborari, per ſpiritum ejus in interiorem hominem, Chriſtumq; habitare in cordibus Veſtris, ut impleamini in omnem plenitudinem DEI. Quod verò multa reprehenſione di-

(*a*) 3. Reg. 8. (1) Epiſtola Paſtoralis ad Clerum & populum Diœceſis Poſnanienſis Annô 1713. (*b*) Ephes. 3.

gna in ſequentibus Epiſtolæ hujus articulis reprehendamus, non eo animo id agimus, quod omnes hujuſmodi abuſus in Diœceſi Noſtra dominari arbitremur, (c) confidimus enim de vobis, dilectiſſimi meliora, & viciniora ſaluti, tametſi ita loquimur, ſed ut illis in poſterum irrepant, viam præcludimus. Sequentes igitur ordinationes quas, nihil aliud præ oculis habentes, quàm ut Cleri populiq; curæ Noſtræ commiſſi, mores ad Chriſtianæ pietatis & Sacrorum Canonum normam componantur conſtituimus, pari quò vobis eas tradimus affectu recipite, maximè cum nihil in eis reperturi ſitis, quod vel jam pridem à Patribus Noſtris, imprimis verò à præfato *Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo* BARTHOLOMÆO TARŁO Prædeceſſore Noſtro conſtitutum, vel certè longâ deliberatione, captoq; virorum prudentum conſilio non ſit maturè disculſum, atq; digeſtum.

I. De Parochis per Archidiaconos viſitandis.

ET primò quidem *Perilluſtres ac Admodùm Reverendos Archidiaconos* Diœceſis Noſtræ hortamur & commonemus, ut Eccleſias omnes intra fines *Archidiaconatuum* ſuorum ſitas (ijs duntaxat demptis, quarum viſitationem anno proximè elapſo peregerunt) ſaltim intra novem Menſes à publicatione præſentium; idq, juxta inſtructionem à Nobis in ſcriptis dandam viſitent; ſtatumq; præfatarum Eccleſiarum, earumq; Rectorum agendi & vivendi rationem in ſcriptis fideliter connotatam, ad Nos deferant aut tranſmittant. In his autem viſitationibus nè numeroſo nimis ac ſuperfluo comitatu Eccleſias præſertim pauperiores gravent, obſecramus.

II. De Officio & poteſtate Decanorum.

UT verò hujuſmodi viſitationes à *Perilluſtribus ac Admodùm Reverendis Archidiaconis* faciliùs ac feliciùs abſolvi queant, *Reverendis Dominis Decanis*, ut vocant Foraneis præcipimus, ut intra duos Menſes à die quô præſentes literæ ad eos pervenerint computandos, omnes Eccleſias in Decanatibus ſuis exiſtentes diligenter viſitent, earum titulos, contractus, aliaq; monimenta in ordinem redigant, eorumq; regeſtrum conficiant, ſtatum quoq; earundem Eccleſiarum tàm ſpiritualem, quàm temporalem conſcribant, unumq; hujus ſtatûs, ita ut præfertur conſcripti exemplar, unà cum præfato monimentorum Regeſtro, penes Eccleſiæ cujuſvis Rectorem relinquant, in viſitatione per *Archidiaconum* facienda exhibendum; alterum verò ejuſdem ſtatûs exemplar, unà cum plena informatione de Vita & moribus Parochorum, tum & aliorum Sacerdotum & Clericorum intra fines ſuorum Decanatuum degentium, annotatis etiam ſcandalis publicis, ſi quæ forſan in ipſorum Decanatibus reperiantur, tum & abuſibus ſi qui circa res ſacras irrepſerint, ad Nos in ſcriptis deferant. Peractâ verò viſitatione, omnibus Parochis & alijs Presbyteris, ad Confeſſiones excipiendas adſtrictis nomine Noſtro demandent, ut coram Nobis vel Officio Noſtro compareant, ad examen & ad approbationem præcipuè quò ad caſus reſervatos obtinendam. Hujuſmodi porro Eccleſiarum viſitatio, per Decanos quôvis annô in poſterum peragenda; informatioq; ut præfertur ad Nos tranſmittenda erit. Committimus etiam dictis *Reverendis Decanis*, ut approbationes ad excipiendas Confeſſiones à Nobis ſeu Vicario Noſtro Sacerdotibus ſuorum reſpectivè Decanatuum, ad certum tempus datas ſeu dandas, ad bimeſtre & non ampliùs prorogare poſſint, ubi id propter difficilem ad Nos Vicarioſq; Noſtros recurſum in Dòmino expedire judicaverint

(c) Hebr. 6.

verint, admonitis dictis Presbyteris, ut intra illud temporis spatium, novam approbationem procurent. Iisdem *Reverendis Decanis* in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ut Congregationes Decanales bis in Anno scilicet in *Majo* & *Octobri* juxta formam ad calcem hujus Epistolæ apponendam instituant, in quibus quidem Congregationibus modestia; frugalitas & sobrietas, uti decet Sanctos & Sanctorum Ministros ab omnibus observetur. Eos qui contra hæc peccaverint, *Reverendi Decani* ad Nos Officiumvè Nostrum sub privatione Officiorum suorum deferre teneantur, pœnis gravitati delicti respondentibus puniendos.

De Congregationib' Decanalibus.

III.

De Cõsultationibus super casibus conscientiæ.

INter omnia Sacerdotum munia, nullum sanè sublimiùs cogitari potest, quàm quod eis remittendi aut retinendi, peccata (d) hominum potestas divinitus concessa sit. Ut igitur illi, qui in Tribunali pœnitentiæ arbitros ac judices conscientiarum agunt, vel in posterum acturi sunt, se in hac sublimi arte perficiant, operæ pretium censuimus in principalibus Diœcesis Nostræ Civitatibus Posnaniæ scilicet & Varsaviæ, super casibus conscientiæ colloquia seu collationes instituere, quæ quidem collationes Posnaniæ in loco seu locis, per Nos ubi ad illam Civitatem pervenerimus assignandis; Varsaviæ verò in Seminarijs ad Collegiatam Sancti JOANNIS, & ad Parochiam Sanctæ CRUCIS existentibus alternatim bis in mense, alternis scilicet diebus veneris juxta formulam à Nobis præscribendam habebuntur. Ijs porro collationibus præter Clericos in omnibus Seminarijs degentes, aderunt non solum *Reverendi Domini Parochi* Civitatis Varsaviensis & Posnaniensis, sed & omnes Presbyteri sæculares Varsaviæ & Posnaniæ constanter agentes, tùm & Clerici in Collegijs ejusdem Civitatis literis operam navantes: Professores quoq; & Confessarij regulares ad hasce collationes invitabuntur, quin etiam Nos ipsi, ubi id negotia & occupationes Nostræ permiserint, ijsdem assistemus. Sciant verò omnes eorum, qui singulis ejusmodi conventibus assistent, nomina quàvis vice notatum iri, Nosq; semper eorum, qui eis frequentiùs adfuerint, ibiq; scientiæ ac prudentiæ suæ specimen præbuerint, in conferendis beneficijs Ecclesiasticis, atq; in concedenda ad excipiendas Confessiones approbatione, rationem habituros. His porro collationibus in Seminario quidem S. JOANNIS *Admodùm Reverendus Præfectus* dicti Seminarij, in Seminario verò Sanctæ CRUCIS *Admodùm Reverendus Præpositus* ejusdem loci, vel quem ipse in sui locum substituerit præsidebit.

IV.

De Residentia Beneficiatorum & pluralitate Beneficiorum.

CUm beneficiati, quibus cura animarum incumbit ad residendum in suis Beneficijs, nedum Ecclesiastico sed divino etiam, ac naturali jure obligentur, omnibus & singulis ejusmodi Beneficia possidentibus districtè, idq; sub pœnis à Concilio Tridentino (2) statutis alijsq; arbitrarijs præcipimus & mandamus, ut in suis Beneficijs personaliter resideant, neq; ab ijs sine Nostra vel Vicarij Nostri licentia, gratis in scriptis idq; ob justas ac rationabiles causas in eadem exprimendas, concedenda etiam ad tempus à Synodo Tridentina indultum sese absentare audeant. Decani Parochos non residentes, ad Nos Officiumq; Nostrum deferre teneantur. Illi verò, qui plura beneficia incompatibilia obtinent, intra tres Menses à publicatione præsentium de dispensatione legitimè obtenta, docere teneantur: quod si id neglexerint, Nos beneficia ab illis

B pri-

(d) Joan. 20. (2) Sess. 23. Cap. 1. de Ref.

primò possessa pro vacantibus declarabimus, ad illaq; alijs dignis & idoneis conferenda procedemus. Si qui autem de hujusmodi dispensatione legitimè obtenta docuerint, resideréq; propterea in omnibus beneficijs non possint, habeant Vicarios probos, honestos, diligentes, quibus congruam fructuum portionem assignare, vel condigna aliàs salaria solvere debent. Hoc tamen non obstante, ipsi sæpè in Persona visitent Ecclesias suas juxta Constitutiones Provinciæ. Sed & ubi ita numerosus est populus, ut ipsemet residens Rector ministrandis Sacramentis, divinoq; cultui peragendo sufficere nequeat: adjungere sibi debet unum aut plures pro exigentia loci & quantitate proventuum Ecclesiæ similes Vicarios, non tamen Regulares, nisi de Nostra licentia speciali.

V. De Confessione & Communione Paschali, atquè Bulla Cœnæ publicanda.

OMnes Parochi Dominicâ quartâ Quadragesimæ & Passionis, populum ad divina audienda congregatum moneant de obligatione, peccata sua proprio Sacerdoti vel alteri de ejus licentia, à Parocho minimè deneganda, confitendi & sacram Communionem tempore Paschali in propria Parochia recipiendi, deq; excommunicatione à Concilio Lateranensi in eos lata, qui huic præcepto non satisfecerint. Ideò etiam tempore Communionis Paschalis, omnibus Parochianis schedulas in testimonium adimpleti præcepti Paschalis distribuant, quas postea finito tempore communionis Paschalis repetant. Si quos præcepto huic non satisfecisse invenerint, eos ad Nos Officiumq; Nostrum deferant, pœnâ excommunicationis puniendos. Bullam quæ vocatur Cœnæ Domini polonico Idiomate, juxta formam ex mandato Nostro, ad calcem præsentium impressam feriâ quintâ in Cœna Domini populo ad audienda divina congregato publicent.

De Communione Infantium. Infantes ad mensam Dominicam non admittantur, priusquàm ad salutem scitu necessaria, tum alia fidei mysteria, præsertim verò ea, quæ ad Sacramentum Eucharistiæ pertinent, non tantum verbis proferre, sed etiam intellectu, quantùm videlicet ætas illa & humanæ mentis imbecillitas sinit, concipere noverint.

VI. De Fabrica Ecclesiæ.

INter ea, quæ curam studiumq; Sacerdotum decent, haud postremum illud est, ut Ecclesiam quisq; suam quasi sponsam excolat & exornet, diligatq; decorem Domûs DEI, & locum habitationis gloriæ ejus. Nihil enim est, quod vel illos chariores populo reddat, vel populum ipsum ad devotionem & pietatem omnem moveat magis, Primùm itaq; det operam Parochus, ut Ecclesia cui præest, sit probè tecta & clausa; parietes habeat firmos; nec fissuris hiantes, fenestras vitrô clausas, fornicem aut laquear decens. Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum teneatur in tabernaculo competenti, in altari majori, aut in alio conspicuo loco Ecclesiæ sito, seràq; munito; cujus clavis à Parocho aut alio Sacerdote diligenter servetur. Olea quoq; Sacra cum Chrismate in loco benè clauso & decenti, extra tamen tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, in quo nihil præter illud poni debet, inquè tersis ac nitidis vasculis collocentur. Nova singulis annis tempestivè, post diem Sanctum Cœnæ Domini, per Clericos non laicos, ex Ecclesia Nostra Cathedrali, vel Collegiata Varsaviensi afferantur, ac modicè, ubi necessitas exiget, mundo & recenti oleo olivarum diluantur, vetera autem extra casû necessitatis ne adhibeantur à Parocho, sed quotannis pariter in lapide ad hunc usum destinato, aut in lampade comburantur. Fontem item baptismalem nitidè atquè sub clausura teneat

Eccle-

Ecclesiæ Rector, vasqve fontis sæpiùs intra annum mundet, aquam ejusdem per pannum lineum mundum in ollam novam colando: qvâ refusâ in vas suùm sic mundatum, pannus ille comburatur, & olla confracta subterretur. Quando verò renovanda erit statis temporibus, (scilicet sabbatô Sanctô & in Vigilia Pentecostes) aqua prior, quæ in vase fuerat, in sacrarium projciatur. Reliquiæ, si quæ sint approbatæ, in Ecclesiæ loco decenti, tuto, neque humido serventur, quævè & quorum sint Sanctorum, superscriptis eorum nominibus pateat. Quoties autem venerandæ exponentur populo, non pemittantur eas osculari, aut tangere sæculares, sed vasa duntaxat seu, thecas illarum. Si quæ verò incertæ sunt, & inscriptione carent, non ostendantur publicè, sed reverenter in Sacrario teneantur. Novæ autem undecunquè allatæ, ad Ecclesiam non recipiantur, nisi prius à Nobis recognoscantur & approbentur. Imagines & signa non nisi Sanctorum, eaquè decentia, ac quæ ore, affectu, habituquè Corporis, Religionis speciem præseferant, ac ad pietatem animos intuentium provocent, in templis & altaribus collocentur. Altaria sint munda, gradus firmos, declives, & pro capacitate loci spatiosos habentia, suggestus pro prædicando Verbo - DEI, loco eminenti atque conspicuo, & quò ad fieri potest in medio Ecclesiæ, quò melius videre omnes Prædicator, videriq; ipse & audiri ab omnibus valeat, collocetur: tegaturquè laqueari ligneo, Confessionalia etiam tot in publico & aperto loco, remoto tamen ab altari majori, extruantur, quot pro confitentium frequentia & confessariorum numero sufficiant. Pavimentum Ecclesiæ stratum sit & æquale, scopeturquè frequenter. Cum autem fidelium corpora sub eo conduntur, coaptetur & planetur denuo; profundequè fodiantur, & claudantur optimè sepulchra, nè feteant. Vas cũ aqua benedicta pro aspersione in ingressu & egressu fideliũ, prope limen, intra tamen Ecclesiam statuatur, quâ singulis diebus Dominicis renovatâ, vetus in Sacrarium, aut per Ecclesiam effundatur. Grana, merces, resquè aliæ profanæ, etiam in scrinijs vel dolijs non asserventur in Ecclesia, nisi fortè id, fabricæ, belli aut incendij necessitas postulet; quâ cessante, statim ea inde amoveri curet Parochus. Sit etiam porticus ante ostium Ecclesiæ, quæ exorcisaturo baptisandos, vel introducturo puerperas Parocho, pauperibusquè eleëmosinam petentibus pro receptaculo deserviat. Cæmeterium sit septum & clausum, nè brutorum incursionibus pateat; nullæque in eo sint immunditiæ, lignorumvè strues, sivè lapidum aut cæmentorum acervi. Sit etiam ossorium separatum à parietibus Ecclesiæ, in quo ossa mortuorum, cũ carnes penitus jam consumptæ fuerint, & non prius congerantur. Deniquè in ijs, locis ubi vitrici Ecclesiarum constituti sunt, habeantur duo libri, unus a Rectore Ecclesiæ, alter á vitricis; in quibus diligenter largitiones sive Eleëmosinæ pro fabrica & necessitatibus Ecclesiæ fieri à fidelibus solitæ, dispensatioquè earundem, quæ cum consilio Parochi semper fiet describantur: & juxta hos libros rationem quotannis vitrici reddere tenebuntur.

VII. De Ceremonijs, ac supellectili Sacra.

IN celebratione Divinorum, Sacramentorumq; administratione, decentia, munditics, gravitas, ritusquè ac ceremoniæ in Rubrcis Missalis & Ritualis Romani ab Ecclesia præscriptæ serventur. Imprimis verò linteamina, ornamenta & vasa sacra non nimium lacera, non sordida, quæ nauseam provocent, non mucida, aut

erugine

ærugine consumpta, ad usus divinos adhibeantur. Quamvis enim probè sciamus, plurium Diœcesis nostræ Ecclesiarum pauperiem, hæc tamen, ejusmodi abusus minimè excusat, cum plerumq; nihil aliud in hoc; nisi Rectorum cura atq; diligentia desideretur; cumq; longè magis optandum sit, ut vasa ac ornamenta Sacra in minori potiùs numero, modò sint apta & munda, habeantur. Quarè noverint Ecclesiarum præsertim Ruralium Rectores Nos, si quid tale in eorum Ecclesijs animadverterimus id impunè minimè relicturos, Liber quoquè agendorum, seu ut vocant Rituale Romanum, ad usum huius Provinciæ editum, ut ad quamvis Ecclesiam Parochialem, integrum non lacerum habeatur; Decani invigilent.

VIII. De Baptismo.

SAcramentum Baptismi in domibus privatis etiam omissis seu in aliud tempus dilatis Ceremonijs, nisi instante mortis periculo, absquè Nostra vel Officij Nostri licentia in scriptis concedenda administrare nemo audeat. Obstetrices præcipuè quibus sæpiùs obligatio infantes in mortis periculo constitutos baptisandi incumbit, ea quæ ad essentiam baptismi spectant, nosse, atquè de hoc antequam ejusmodi munus exercere incipiant, à Parochis instrui & examinari debent. Ad officium Patrinorum & Matrinarum hæretici & schismatici non admittantur, nec plures, quàm duo, unus scilicet Patrinus & una Matrina adhibeantur; qui etiam de contracta cognatione Spirituali commoneantur. Nomina baptisatorum eorumquè Parentum & Patrinorum, adjecto die Nativitatis ejus qui baptisatur, in libro baptisatorum exactè connotentur.

IX. De Sacramento Pœnitentiæ.

IN administratione Sacramenti Pænitentiæ præcipitantia, nimia severitas, nimiaquè lenitas evitetur; per præcepitantiam enim pænitentibus peccata sua debitè confitendi, consiliaquè opportuna capiendi tempus non conceditur; per nimiam severitatem, homines ab hoc Salutari remedio avertuntur; per lenitatem autem nimiam peccatores in vitijs & delictis quodam modo confoventur. Rudes & fidei mysteria ignorantes à Confessarijs circa ea, quæ ad salutem scitu necessaria sunt, præcipuè necessitate medij, cum patientia & charitate examinari & instrui debent, quod si ad id tempus ob pænitentium confluxum non sufficiat, absolutionis beneficium illis tamdiu differatur, donec ea didicerint. Eos qui in confitendo difficultatem quandam aut pudorem præseferunt, Confessarii prudenter de peccatis eorumquè numero & circumstantijs examinent, ad integram sinceramquè eorum confessionem, tum ad veram contritionem, firmumquè deinceps non peccandi propositum cohortentur illos, qui proximo damnum aliquod intulerunt, nullatenus absolvant, nisi restitutione prius factâ & damnô ad æqualitatem compensato, si damnificans id præstare possit; experientiâ quippe compertum est, si talibus, restitutione non secutâ, sed promissione duntaxat de restituendo facta, absolutio concedatur, restitutionem plurimùm differri, & nunquàm ferè, ut oportet præstari, quod si damnificans penitùs id præstare nequeat, ad restitutionem quàm primùm poterit faciendam, sese coram DEO obliget. Circa id verò Confessarij tám Sæculares, quàm Regulares advertere debent, restitutionem damni illati faciendam esse illi, qui damnum passus est, sive eo mortuo, hæredibus aut successoribus illius, minimèq; sufficere, ut fiat restitutio pauperibus, vel locis pijs, nisi fortè tunc, cum adhibita per longum tempus diligentia, sci-

ri

ri non poteſt, cui nam damnum illatum fuerit, vel de eo ejuſq; ſucceſſoribus notitia haberi nequit. Uſurarij & concubinarij publici, alijq; qui cum gravi & publico ſcandalo vivunt, non priùs abſolvantur, quàm ſcandalum reparaverint, debitaq; emendationis ſigna oſtenderint. In occaſione quoquè proxima peccandi voluntariè exiſtentes non abſolvantur, niſi priùs dictā occaſionē elongaverint. Iis ſimiliter, qui in habitu peccandi vivunt, quiquè iam aliàs in confeſſione moniti in eadem peccata continuò labuntur, abſolutio tamdiu ſuſpendatur, donec ſpes affulgeat forè ut habitum ſuperent, nequè ad illum redeant; interim autem pænitentiæ ad eoſdem habitus corrigendos aptæ eis injungantur. In hoc enim Confeſſariorum, qui Judices ſimul & medicos agunt, prudentia maximè elucere debet, ut pænitentiæ quas imponunt, nedum expiandis jam commiſſis peccatis idoneæ, ſed etiam medicinales ſint; tales ſcilicet, quæ ad vitanda in poſterum peccata inſerviant. Parochi & quicunque alij Confeſſarij non in domibus, nec in ſacriſtia locòve alio clauſo vel obſcuro, ſed in Eccleſia duntaxat, inq; Confeſſionali ad id deputato, confitentes ſibi, præſertim fæminas, nequè catervatim aut plures ſimul, etiam pueros, ſed ſingulos ſeperatim audiant, ſub pænis arbitrio Noſtro irrogandis. Caveant prætereà nè peccata in confeſſione audita, verbo, ſigno, aut alio quovis modo directè vel indirectè extra illam prodant, ſub pæna depoſitionis, carceriſquè perpetui & excommunicationis ſententia. Sed & in confeſſione ipſa vitent, nè dum pænitentes graviora peccata narrabunt, ſuſpirando, ſpuendo, ſignando ſe Cruce, corrugando frontem incitando ſermonem, ſequè agitando, aut aliàs quomodolibet ſuſpicionem illorum circumſtantibus inijciant: imò ſi quem fortè ob reſervatum caſum, aut quia peccatum, vel occaſionem ejus dimittere, ſatisfactionemvè aut reſtitutionem præſtare recuſat, abſolvendum non exiſtimabunt, ſigno ſaltem Crucis cum precatiuncula aliquâ propter circumſtantes, admonitum priùs ea de re, benedicant, & ſic a ſe dimittant. Pænitentias etiam tales non injungant, ex quibus alij in cognitionem criminum ſecretorum devenire facilè poſſint. Ne verò ſe & alios decipiant Parochi, abſolventes à peccatis à quibus revera ob defectum juriſdictionis non poſſunt abſolvere, Noverint benè caſus S. Sedi Apoſtolicæ reſervatos, tam per Bullam Cænæ, qui ad calcem præſentium continentur; quàm per Jus commune aliasquè Pontificum conſtitutiones, de quibus præter alios optimè Navarrus, tum & eos, qui Sedi Noſtræ ordinariæ reſervantur, uti ad calcem præſentium videre eſt. Preſbyteri vagi & ignoti tam ſæculares, quàm Regulares, ad excipiendas confeſſiones non admittantur, niſi approbationem á Nobis, aut Vicario Noſtro ad easdem excipiendas ſibi conceſſam in ſcriptis monſtraverint.

X. De Sacramēto Euchariſtiæ.

SAnctiſſimum Sacramentum cùm ad infirmos defertur, id fiat publicè præcedentibus Miniſtris Eccleſiæ cum facibus cereisvè accenſis & tintinabulo: hymnosquè aut antiphonas convenientes recitantibus: ac populo ſequente; qui ut frequens & devotus comitari aſſveſcat, moneatur ſedulò in concionibus, ac præſertim ſicubi confraternitates laicorum pietati huic deſtinatæ habentur, ut illam aſſiduò exerceant: Quod intelligendum eſt, niſi propter nimis lutoſam viam, aut alias graves cauſas aliter fieri omninò oporteat. Si ob diſtantiam loci, vel inſtans mortis periculum unà eadem-

demquè operâ audienda fuerit ægroti confessio: primùm id sacerdos, excedere omnibus cubiculo atquè foris orare iussis, præstet; deinde sacram ei Communionem exhibeat. Porro aliàs semper quando vicinitas loci, nec adeò afflicta infirmi valetudo patitur aditum, priùs eo fine ægrum audiat & præparet, tuncquè demùm ad eum divinam Synaxim ferat. Antequam infirmis viaticum præbeatur, cum ijsdem actus fidei, spei, charitatis (nisi prudentia aliter svadeat) recitentur. Administratô verò Sacramentô, alij actus nimirùm gratiarumactionis, resignationis in divinum beneplacitum, & alij similes ijsdem suggerantur. In Ecclesijs Parochialibus præcipuè solemnioribus festis, & dum major est ad Communionem concursus, actus ante & post Communionem juxta formulam præscriptam clara voce recitentur à sacerdote, qui sacram Communionem distribuet.

De Missa Parochiali.

In Parochijs, ubi una aut duæ duntaxat Missæ Dominicis & festis diebus, haberi solent: Missa præfatis diebus, statâ semper horâ celebretur, ita scilicet ut paulò ante meridiem finiatur, & si qui Parochiani ad illam tempestivè non confluxerint, etiamsi jure patronatûs gaudeant, minimè expectentur; nè alij longè plures inauditâ Missâ, quòd sæpè accidit, discedere cogantur. Ad Missas celebrandas sacerdotes quicunquè ignoti & extranei nullatenus admittantur, nisi literas, ut vocant formatas Loci Ordinarij sui, aut si regulares fuerint superioris Regularis testimonium exhibuerint.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

Sacramentum extremæ unctionis plus æquò non differatur, quinimo infirmi eorumquè amici instruantur Sacramentum istud, precesq; quæ circa illud fiunt dirigi, etiam ad restituendam Corporis sanitatem, si id Divina sapientia ad salutem ægrotantis noverit expedire: Si autem infirmitas duret, Parochi ægros identidem invisant, consolentur, ad patientiam cohortentur, & ad benè christianequè moriendum disponant.

XI.

De Sacramento Matrimonij.

NUllus Parochorum matrimonium omissis bannis, aut inter personas, quarum una saltim non sit de ejus Parochia, nisi de licentia proprij contrahentium Parochi, benedicere, aut eidem assistere præsumat, sub pæna suspensionis ipsô factô incurrendæ alijsquè arbitrarijs, nisi fortè super bannis á Nobis, aut Vicario Nostro fuerit dispensatum; quod rarissimè & non nisi ob graves & maximi momenti rationes fiet, quia verò impedimenta matrimonium dirimentia passim ignorantur, ideo saltem bis in anno: scilicet in festo Epiphaniæ Domini, & Dominica in Albis, hujusmodi impedimenta juxta instructionem ad calcem præsentium appositam, á Parochis Oppidorum & Villarum populo ad divina congregato è suggestu explicentur. Si aliquod impedimentum inter personas Matrimonium contrahere volentes, detectum fuerit, priusquám ulteriùs procedatur, seriò ac diligenter circa id inquiratur. Quod si facto examine, constet impedimentum revera subesse, ulterius nullatenùs procedatur. Si verò res dubia & incerta videatur, totum negotium ad Nos Officiumquè Nostrum remittatur. Benedictiones Matrimoniorum in ædibus privatis, absq; expressa licentia in scriptis à Nobis obtinenda prohibentur. Nullus quoq; Parochus ad benedicendum Matrimonium accedat, nisi ipsi constet contrahentes scire mysteria fidei, præcepta Decalogi, orationemquè Dominicam: ideo cùm publicatum fuerit primum bannum, inter personas, de quibus dubitari potest, an supradicta sciant, moneat Parochus ut contracturi Matrimonium tempestivè compareant, ut circa prædicta examinari, & si ea nescíverint, addiscere possint: Interim verò benedictio Matrimonij differatur.

XII.

XII.
De Sacramẽtalibus & Ceremonialibus.

QUàm pium eſt ac utile Sacramentalibus ac Ceremonialibus Eccleſiæ Religiosè uti, tàm Sacrilegum aliter illa, vel aliô quàm quô & qualiter inſtituta ſunt adhibere modô. Moneantur proinde fideles à Parochis, ut ſale, aquâ, vinô, avenâ, myrrhâ, aurô, thure, candelis, palmis, igne, cibô, potu, & herbis pro tempore benedicendis, juxta inſtitutum Eccleſiæ, vel certè juxta conſvetudinem hujus Provinciæ laudabilem, non ſuperſtitiosè, nec ad maleficia, ſed piè ſanctèq; ad propulſandas artes Sathanæ, animiq; & corporis ſanitatem, benedictione Domini tuendam, utantur. Ceremonialia quoq; tàm Parochi, quàm populus nonniſi ab Eccleſia probata & permiſſa uſurpent. Abuſus porrò, qui in his irrepere potuerunt, veluti tempore Paſchatis madefactiones aliorum petulantes & periculoſæ: choreæ, quæ in feſto Sancti JOANNIS Baptiſtæ circa ignes duci in quibuſdam locis ſolent, aliaq; his ſimilia, indigna Chriſtianis, penitùs aboleantur; Hæc enim vel accepta ſunt ab Ethnicis, vel eò, fraude diaboli diriguntur, ut populum à recolendis redemptionis Noſtræ myſterijs, cultuq;, & religiosâ feſtorum obſervantiâ, ad nugas & ludicra avertant.

XIII.
De funeribus.

IN tumulandis defunctorum corporibus, id imprimis obſervent Parochi, ut cadavera diu inſepulta non maneant, quâ de re hæredes & amici defunctorum admonendi ſunt. Oppreſſos tamen repentino aliquo morbo, aut caſu, ante expletas viginti quatuor horas, vel quamdiu de vita illorum ſpes aliqua ſupereſt, ſepulchro nè mandent. Monentur quoq; fideles, ut ſumptus funerum faciant moderatos, explendæq; potiùs pauperum fami, vel Sacrificijs pro anima defuncti procurandis, quàm erigendis pomposè cenotaphijs, aut convivijs lautè, & non ſine offenſa DEI apparandis, ſtudeant. Provideant quoq; Parochi, nè pias fidelium voluntates, qui fundando aut dotando Eccleſias, ſuffragandi pro ſe onus miniſtris earum impoſuerunt, deperire ullâ ratione fraudarivè patiantur. Quod ſi in aliquibus Eccleſijs, vel tam magnus Miſſarum eo nomine celebrandarum impoſitus eſt numerus, ut omnes celebrari nequeant, vel adeò tenues pro illis celebrandis aſſignatæ ſunt elèëmoſynæ, ut non facilè inveniantur, qui ſubire hoc munus velint, id Nobis quàm primùm ſignificent ut re inſpectâ id ſtatuamus, quod magis ad DEI honorem & cultum, Eccleſiæq; utilitatem viderimus expedire.

XIV.
De illicitis exactionibus.

UT omnis avaritiæ ſpecies, quæ Eccleſiaſticos viros ſummoperè dedecet, evitetur; prohibemus imprimis, nè quis pro Sacramentorum adminiſtratione, quidquam exigere audeat & præſumat. Sicubi verò abuſus irrepſerit, ut Parochi à populo ad Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ tempore Paſchali confluente, retributiones aliquas, aut labores exigant; id ab hinc ſub graviſſimis pœnis arbitrio Noſtro irrogandis interdicimus. Si quid tamen Sacerdoti Sacramentum Baptiſmi miniſtranti, vel matrimonium benedicenti, ſpontè & benevolè offeratur, id gratô ánimô recipi nihil vetat. Circa ſepulturas quoq; & funeralia nimias exactiones evitent Parochi, ac pro laboribus ſuis habitâ perſonarum & temporum ratione contenti ſint congrua mercede, cujus taxam pro Parochijs ruralibus ab *Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino* bonæ memoriæ *STANISLAO HOSIO* Prædeceſſore Noſtro nuper vitâ functo conſtitutam, ac typis vulgatam, approbamus, ita ut ul-

 tra

tra illam nemini plus exigere liceat. Quò ad Civitates verò & Oppida, & si taxa ob personarum locorumq; varietatem uniformis constitui nequeat, hortamur tamen & obsecramus in Domino omnes ad quos id pertinet, nè per turpem in his rebus quæstum aliquod offendiculum præbeant ijs, quibus eorum vita exemplar omnis virtutis esse debet. Monemus pariter omnes Parochos & ijsdem seriò præcipimus, ut decimationem segetum plus æquô cum damno populorum non differant; sed quam primùm segetes in campis collectæ fuerint, & à Possessoribus agrorum fuerint requisiti, decimationem præfatam absolvant. Quod si ter moniti id facere neglexerint; liceat agrorum Possessoribus segetes suas in horrea cõvehere, relictâ in cãpo decimâ, quæ debebitur Sacerdoti, qui si inde aliquod damnũ patiatur, sibi negligẽtiæq; suæ illud imputare debebit.

XV.
De Prædicatione Verbi DEI, & Doctrina Christiana.

CUm inter præcipua Sacerdotum imprimis autem Pastorum munia illud sit, ut Verbum DEI populo prædicent, doctrinæq; Cœlestis, panem parvulis frangant: ij, qui animabus præpositi sunt, juxta monitum Apostoli attendere debent sibi & doctrinæ (e) ut hoc sublimi munere dignè DEO fungantur. Ut autem id cum majori fructu fiat, utq; incommodis, quæ in hoc frequenter contingunt occurratur, omnibus Parochis Villarum & minorum Oppidorum, ubi scilicet populus literarum expers est, præcipimus & mandamus, ut in festis primæ & secundæ classis Concionem ad captum populi habeant, in qua nonnisi ea dicantur, quæ ad explicanda fidei mysteria, ad vitia extirpanda, ad virtutes in cordibus fidelium plantandas faciunt; fabulis, jocis inutilibusq; discursibus penitus resecatis. In alijs porrò omnibus festis Dominicisq; diebus prælecto, ac brevissimè, solidè tamen explicato diei occurrentis Evangelio, loco Concionis (ob graves rationes, quæ impræsentiarum animo Nostro obversantur) doctrina Christiana seu Catechismus populo explicetur, idq; ad normam Catechismi Romani ex mandato Synodi Tridentinæ ad Parochos editi; quem Nos in vernaculam lingvam translatum, typis mandari quàmprimùm curabimus, mandantes omnibus Parochis, ut quàmprimùm hujusmodi Catechismus in publicum prodierit, singuli illius exemplar sibi comparent; illumq; sedulò legant, ut ex hoc puro fonte hauriant sanam salutaremq; doctrinam Christi fidelibus prædicandam.

De frequentandis Parochijs.

Quia verò inutilis est Pastorum labor & clamor, nisi vocem eorum oves audiant; & frustra Matrimoniorum denuntiationes, Festorum dierum enumerationes; Constitutionum Apostolicarum publicationes doctrinæq; Christianæ explicatio in Parochijs fieret, si Parochialis Ecclesia, quæ deberet esse Domina cæterarum, fiat quasi vidua, viæq; ejus lugeant, eò quod non sint, qui veniant ad solemnitatem; populo scilicet desertis Parochijs ad vicinas Regularium Ecclesias passim confluente: Parochorum erit in ijs, quas ad populum habebunt Concionibus & instructionibus, eundem diligenter & frequenter monere, teneri unum quemq; Parochiæ suæ, ubi id commodè fieri potest, interesse ad audiendum Verbum DEI, (3) saltim diebus Dominicis & majoribus festis. (4)

XVI.
De Parochijs per Parochos visitandis.

QUia verò ad bonum regimen minimè sufficit, ut oves Pastorem noverint, sed requiritur etiam ut vicissim noscantur à Pastore, qui singulas vocare debet nominatim: (f) non contenti publicè

(e) 1. Timoth: 4. (3) Concil. Trident. sess. 24. Cap. 4. (4) Concil. Trident. sess. 22 in decr. de obser. in celebr. Missæ. (f) Joannis 10.

blicè & in Ecclesijs saluti suorum inservire Parochi: privatim etiam domi, statum, vitam & mores cujusquè cognoscere studeant, habeantquè totam suam Parochiam descriptam in libro, in quo appareat quot, & quas Parochia illa villas, villa domos, domus animas comprehendant. Quæ quidem descriptio fiebat antiquitùs Kalendis Januarij, unde nunc etiam *Kalendas*, seu corruptâ voce *Kolendas* vocamus. Eo igitur tempore, vel quando ijs commodiùs videbitur, per se vel Vicarios suos, ad pietatem non ad quæstum, nec quærentes, quæ sua sunt, sed quæ JESU Christi; domus singulorum visitent, ingressiquè iuxta præceptum Domini dicant: *Pax huic Domui*, vel âlia quâpiam ex Sacris literis assumpta benedictionis formulâ utantur. Convocatâ deinde totâ domo, instruant eos de necessarijs ad Salutem, & an sciant munire se signo Sanctæ Crucis, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Decalogi & Ecclesiæ Præcepta, examinent; dequè vita, moribus, occupationibus, studijs, & necessitatibus singulorum inquirant: ac si quidem aliquos ebriosos, perjuros, fures, fæneratores, fornicarios, adulteros, homicidas, blasphæmos, festorum violatores, maleficijs & incantationibus deditos, aut quovis alio criminis genere obstrictos repererint, primùm eos charitate atq; lenitate verborum, quâ maximè poterunt inter se & ipsos solos, corripiant, deinde si nihil profecerint, unum atquè alterum, viros probos, delinquentibus familiares adhibeant: quodsi ne tum quidem resipuerint, Nomina & excessus illorum ad Nos vel ad Parochiarum visitatores deferant. Exhortentur deinde pro ætate & conditione quemquè sua, Senes ut sobrij sint pudici, prudentes, sani, in fide & patientia; anus in habitu sancto, non criminatrices, nec ebrietati, præstigijs lenocinijsquè deditæ. Viduas, ne circumeant vicos otiosæ, curiosæ, verbosæ, loquentes quæ non oportet; sed ut regant domos suas, filijs & nepotibus benè præsint, mutuamquè vicem parentibus suis reddant. Maritos, ut diligant uxores suas, sicut Christus dilexit Ecclesiam, Filios ad iracundiam ne provocent; sed educent illos in disciplina & correptione, necessitatibusquè eorum provideant: qui enim suorum maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior. Uxores, ut viros suos ament, subditæquè sint illis, castas & sobrias se præstent, domûs curam habeant, & nè secum infantes propter suffocationis periculum noctu in lectis teneant. Filios ut obediant parentibus. Servos & subditos ut ministrent Dominis in simplicitate cordis, sicut Christo; non ad oculum servientes, nec fraudantes, sed fidem bonam ostendentes, placentesquè in omnibus. Dominos ut remittant minas, scientes quia utrorumquè Dominus est in Cœlis, & personarum acceptio non est apud DEUM. Postremò si ibi sint aliqui pupilli, virgines, mendici, infirmi, aliævè miserabiles personæ, quæ tam Spirituali, quàm corporali ope indigeant; consolentur eos, ineantquè rationem, quâ illorum orbitati pudicitiæ, egestati, valetudini consulatur; nomina singulorum in librum præfatũ referenda, connotent, nisi id iam præcedentibus annis præstitũ sit, tunc enim sufficiet eos, qui intra anni decursum vel nati vel mortui sunt, sivè qui sedem alio transtulerunt, aut aliunde advenerunt annotare. Tum demùm postquàm seminaverint spiritualia, non erit magnum si corporalia metant, strenasquè quas vocant, vel porrectiones ab ultrò offerentibus, accipiant. Dominus enim JESUS ordinavit ijs, qui Evangeliũ annuntiant, de Evangelio vivere.

D

Com-

commessationes tamen & ebrietates in hac Pastorali Visitatione, vitari omninò debent.

XVII. De cura & administratione Hospitalium.

ORdinata Xenodochiorum administratio Pastoralis non postrema pars est Officij; quare operam dent Parochi, ut non solùm ipsi ex frugalitate & parsimonia sua necessitatibus illorum subveniant; sed & alios quibus fortè cura eorum incumbit, inducant ad explendum sedulò officium suum. Et imprimis ubi perpetui ex statuto, Privilegio, vel fundatione, non habentur hospitalium administratores, viris probis, providis, industrijs, non tamen id ambientibus, vel debitô aliquô hospitali obstrictis, quôlibet trienniô (si videbitur) permutandis, Provinciam hanc demandari curent; qui Inventarium rerum omnium conficere, Nobisquè, aut Visitatoribus Nostris exhibere, sed & rationem acceptorum, expensorumquè reddere quotannis tenebuntur. Provideant autem nè mendici, qui vel operâ possunt sibi victum quærere, vel habent aliàs unde vivant, recipiantur ad hospitalia, prætextuquè elèémosynæ, inertia otiosorum hominum foveatur; sed tantùm morbo vel ætate confecti, mutilivè, & ad laborem minimè idonei, ac præcipuè incolæ loci illius admittantur. Vagi autem & validi, si laborare noluerint, prohibeantur à Parochis mendicare apud Ecclesias, & per Magistratum Sæcularem à villis & oppidis expellantur. Porrô in quolibet hospitali cubicula virorum ac fæminarum separata sint, nequè unquàm simul versari permittantur. Si qui item alios contagioso morbo possent inficere, à cætu reliquorum separati maneant. Nequè interim dum corpora eorum curantur, negligantur animi: sæpequè à Parocho vel proprio sacerdote informentur ad patientiam, & de necessarijs ad salutem doceantur. Orationi vacent assiduè, atquè semel saltim in mense ad Sacram Synaxim confessi accedant. Moneantur deniquè fideles, ut præter quotidianas elèémosynas, quas impertiri solēt, liberaliores interdū per suos mittere, aut ipsi deferre, visitarequè hospitalia assvescant: quibus elèémosynis cum annuo, si qui est proventu conjunctis, victus inde & amictus pauperum, lectisternia, medicinæ & aliæ necessitates procurentur. Quò autem hæc omnia majori ordine peragantur, elaborent Parochi, ut locorum Magistratus cum administratore seu Præposito Hospitalis Parochisvè etiam ipsis, semel saltem in mense, vel sæpiùs prout necessitas postulabit, in loco ad id destinato conveniant; acturi; de rebus ad rectum regimen hospitalis pertinentibus. Siquè aliqua occurrent pro tempore, quæ consiliô, subsidiô, vel operâ indigere existimaverint, in medium afferant, atquè opportuna adhibeant remedia; & imprimis provideant nè in dispensandis elèémosynis, aut proventibus hospitalis, membra Christi defraudentur.

XVIII. De conferendis, Beneficijs.

BEneficia juris Ecclesiastici juxta dispositionem Concilij Tridentini per concursum a Nobis conferentur illis, qui per examen magis idonei & digniores spectatâ scientiâ, morum integritate alijsquè dotibus ad curam animarum requisitis reperti fuerint. Quò ad beneficia juris Patronatûs sæcularis, quamvis unicuiquè jus suum integrum & inviolatum servare volumus, omnes tamen Patronos, seu ut vocant Collatores monemus & hortamur in Domino, ut ad beneficia dignos, atquè doctrinâ & bonis moribus præditos præsentent; nec œgrè ferant, si eos, qui indigni & incapa-

capaces reperti fuerint ad institutionem non admittamus; Nemo resignanda ab alijs beneficia priusquàm revera resignentur, etiam sub clausula *Resignaturus est* impetrare præsumat: omnes enim præsentationes & collationes hujusmodi, ipso jure nullæ sunt. Nullus item præsentandus pacisci cum Patronis, aut transigere quôvis modô audeat, de alienandis eo nomine, vel non petendis ab eis bonis aut juribus Ecclesiæ, decimisvè manipularibus in pecuniarias convertendis vel locandis, aut minuendo earundem pretio, sub pœnis à jure in confidentes & simoniacè provisos latis. Qui ad beneficium aliquod præsentati fuerint, examen serium subeant, ac præter literas præsentationis, testimonium de vita & moribus à personis fide dignis, præsertim à Parocho loci & Decano adferant. Decani verò & Parochi sciant conscientias suas gravissimè oneratas, ut hujusmodi testimonia non nisi pro merito & veritate tribuant. Quod si compertum fuerit aliquem Decanum vel Parochum falsum hâc in parte tribuisse testimonium, præter gravis peccati reatum, etiam pœnas à nobis infligendas sciant se esse incursuros & Decanus præter alia, officio decanali irremissibiliter privabitur. Si qui verò ad beneficia præsentati in seminarijs, aut scholis morati fuerint à Præfectis Seminarij, seu Scholarum hujusmodi testimonium adferre tenebuntur; quod intelligi debet etiam de illis, qui beneficia per concursum obtinere voluerint, in quo quidem concursu eorum, qui in Seminarijs scientiæ & pietati operam navaverint, quiquè collationibus super casibus conscientiæ Varsaviæ & Posnaniæ habendis, frequenter adfuerint, singularis ratio habebitur. In resignationibus quoquè beneficiorum, abusus qui irrepere possent prævenire volentes, declaramus, nemini licere beneficium quodcunquè intra Diœcesis Nostræ fines possessum quomodocunquè resignare, nisi obtentâ à Nobis resignandi facultate (5.) aliterquè factam resignationem, nullam esse. Cùm verò resignatio legitimè facta fuerit, in Ecclesia Cathedrali, & in Ecclesia ipsius beneficij intra tempus à Jure præscriptum (6.) coram populo ad Divina congregato, publicari & ad valvas dictarum Ecclesiarum affigi debet: alioquin ipso jure irrita erit ac inanis.

XIX. De Ordinandis.

NOn sine animi mærore audimus, eam inter homines sæculares opinionem invaluisse, quòd ij duntaxat Clero adscribantur, qui alium vivendi modum non habent, quiq; ad nihil aliud apti judicantur: cùm tamen ad eos à CHRISTO Domino dictum sit: (*g*) *Ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis*, & Apostolorum Princeps eos, qui in sortem Domini ministeriumq; altaris vocati sunt. (*h*) *Genus electum, Regale Sacerdotium, Gentem Sanctam & populum acquisitionis* nuncupaverit. Quia verò ob nonnullorum Sacerdotum ignorantiam, infamem hanc notam universo Clero inustam esse constat: Omnes qui Clero adscribi exoptant, noverint Ecclesiam requirere, quidem in ijs simplicitatem cordis, abhorrere verò inscitiam & ignorantiam; & Apostolum, dum hortatur (*i*) ut simus *parvuli malitiâ*, velle, ne efficiamur *parvuli sensibus*. Quamobrem, omnes ad statum Ecclesiasticum aspirantes, imprimis hortamur, ut in aliquo è Seminarijs, ad minimùm per Annum integrum scientiam Sanctorum, doctrinam statui suo necessariam, & rationem ministerij sui rectè obeundi addiscant, cer-

(5.) C. Admonet. de Renun. 1. Decretal. (6.) C. Humano. de resign. lib. 1. in 7mo Decretal. (*g*.) Joan. 15. (*h*.) 1. Petri 2. (*i*) 1. Cor: 14.

tôq; persvasum habeant, fore, ut in collatione beneficiorum, ij cæteris præferantur, qui in dictis Seminarijs scientiæ & pietatis specimen, præ alijs dederint, ad Sacros ordines promovendi, ante quamlibet ordinationem exercitia Spiritualia, ad id consultò accomodata, per decẽ dies subeant, in Archidiaconatu quidem Varsaviensi in Seminario Sacerdotum Congregationis Missionis ad Sanctam CRUCEM Varsaviæ; in majori verò Polonia, apud Patres *Societatis* JESU, vel Patres Oratorij Sancti PHILIPPI Nerij. Ad hæc porrò exercitia; omnes simul die scilicet Lunæ, quæ hebdomam quatuor temporum antecedit, horîs pomeridianîs ad locum assignatum conveniant. Exercitijs persolutis pro subeundo publico examine die Veneris quatuor temporum compareant: in quo quidem examine ab Examinatoribus á Nobis assignandis, non de ijs solùm, quæ spectant ad naturam & functiones ordinis, quem suscepturi sunt, sed de varijs Theologiæ præsertim Moralis materijs, tum etiam de cæteris ad ordines suscipiendos requisitis, seriò examinabuntur. Nemo autem ab hoc publico examine eximetur, nisi Nobis ob graves magniq; momenti rationes, quæ raró admodum adesse possunt, aliud in Domino visum fuerit. Unusquisq; Ordinandorum coram Examinatoribus, præter literas legitimi ortûs, formatas de susceptis jam Ordinibus, testimonium à Parocho aut Decano loci, in quo commoratus est, de vita & moribus; item testimonium de exercitijs decem dierum ritè persolutis, titulum etiam competentem: & si ex aliena Diœcesi sit, literas dimissoriales, testimoniumq; Loci Ordinarij sui, de natalibus, moribus, vitâ, & titulô sufficienti exhibeat, alioquin ad Ordines suscipiendos minimè admittendus. Ut verò examina hæc ordinatiùs fiant, noverint omnes Nos extra tempora Ordinationes, nisi ob gravissimas ac urgentissimas causas nunquam habituros, aut fieri permissuros. Si quis titulum ad quem ordinari exoptat fictum aut ementitum, in hujusmodi examine protulerit, & ad eum se ordinari procuraverit, ab exercitio Ordinum susceptorum ipsô factô tàmdiu suspensus maneat, donec fraudem detexerit aliumq; legitimum & verum titulum obtinuerit. Illi, qui ad Vicariatum (seu ut vocant provisionem) alicujus Parochi ordinati fuerint, absq; consensu sui Provisoris & licentia à Nobis in scriptis obtinenda, sub pœna suspensionis, ipsô factô incurrenda, non discedant. Provisori similiter provisum à servitio suæ Ecclesiæ, absq; gravi & justa causa, per Nos vel Officium Nostrum approbanda, amovere non liceat. Quod, si secùs fecerit, juxta Prædecessorum Nostrorum Statuta pœnâ centum Marcarum ad usus pios applicandarum, ad instantiam Fiscalis mulctabitur, & nihilominùs provisum iterũ recipere adstringetur.

XX.

De cura Sacerdotum infirmorum, eorumq; testamentis.

UBi aliquem Parochum periculosè infirmari contigerit, vicinior Parochus aut Decanus ægrum adeat, consoletur, Sacramentis ubi opus erit communiat, anq; testamentum (quod juxta Constitutiones Synodales hujus Provinciæ, quilibet Clericus facere potest) condiderit, interroget; siq; necdum id præstiterit, ad illud condendum, & à testatore cum duobus testibus, quantùm fieri potest Sacerdotibus, aut aliàs viris probis & fide dignis, subscribendum cohortetur, ipsiq; quò ad fieri potest, animam agenti ad ultimum usq; halitum assistat, ubi autem æger è vivis excesserit, nè subindè Ecclesia detrimenti aliquid patiatur, prædictus vicinior Parochus aut Decanus, qui infirmo assistebat, Nos aut Vicarium

No-

Noſtrum Generalem teneantur per literas aut Nuntium, certiores ea de re reddere, additò teſtatuſnè, an inteſtatus deceſſerit. Ipſe verò interim adhibitis conſule, Judice, vel alio loci Magiſtratu, atq; aliquot viris Parochiæ fide dignis, necnon hæredibus & amicis defuncti, ſi adſint, conficiat Inventarium tàm Jurium & ſupellectilis Eccleſiaſticæ, quàm rerum defuncti, omniaq; illa tuto & idoneo loco deponat, retentô apud ſe inventarij exemplô, quod poſtmodū cui vel de jure competet, vel Nos mandaverimus conſignabit. Qui teſtamenta ab hinc condent Beneficiarij, quinquageſimam ſaltem pecuniarum per obitum relinquendarum partem, Seminario, aut hoſpitali pauperum Sacerdotum applicent, quod ſi id non præſtiterint, hujuſmodi defectus à Nobis ſupplebitur, & ſic, non aliàs, teſtamentum approbabitur. Porrò ex inteſtatorum Bonis abſolutâ ſepulturâ perſolutis debitis, expeditâ familiâ, conſolatis propinquis, fabricâq; Eccleſiæ & animâ defuncti procuratis, quod reliquum erit, prout Nobis in Domino viſum fuerit, juxta Conſtitutiones Synodorum Provincialium hujus Regni, arbitrio Noſtro diſpenſabitur.

XXI. De vita & honeſtate Clericorum.

OMnes Diœceſis Noſtræ Eccleſiaſticos, in quibuſcunq; ordinibus conſtitutos, paternè monemus & hortamur in Domino, ut juxta verba CHRISTI. (k) *Vos eſtis lux mundi, ſic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem Veſtrum qui in Cœlis eſt*, meminerint ſe eſſe filios lucis, ac propterea ne dum opera tenebrarum abhorreant, ſed (l) in omnibus ſe ipſos præbeant, exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum ſanum irreprehenſibile, ut is, qui ex adverſo eſt, vereatur; nihil habens malum dicere de Nobis. In ſuo quilibet Officio ac Ordine, DEO, Eccleſiæ & populo diligenter ſerviant, otium imprimis quod multa docuit mala, cane pejùs oderint & angve, ac proinde quidquid illis ab oratione Eccleſiæ cultu, ſacris Officijs, cura animarum reiq; etiam familiaris neceſſaria inſpectione temporis ſupererit, totum id lectioni, & meditationi Sacrarum literarum, aliorumq; probatorum librorum tribuant, quò potentiores ſint exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. Ebrietatem, quæ ſtatum Eccleſiaſticum contemptibilem reddit, plurimorumq; malorum fons eſt, luſus prohibitos, avaritiam, luxuriam, deteſtentur, & non tantùm à malo, ſed ab omni etiam ſpecie mali (m) ſecundum Apoſtoli monitum ſeſe abſtineant: cum fæminis junioribus, etiam ſub conſangvinitatis prætextu, ſub eodem tecto habitare non præſumant: nemini dantes ullam offenſionem, (n) ut non vituperetur miniſterium eorum, certò perſvaſi, Nos, ſi quid tale de quopiam ad Nos delatum fuerit, id impunè minimè relicturos. *Reverendis Decanis* in virtute Sanctæ obedientiæ præcipimus, ut ſi quos in Decanatibus ſuis ebrietati & impuritati deditos noverint, ſub privatione Officiorum ſuorum, ad Nos Officiumq; Noſtrum quàm primùm deferant. Quod ſi ipſi Decani hujuſmodi vitijs ſubjacere deprehenſi fuerint, non ſolùm Officijs privabuntur, ſed etiam gravioribus alijs pœnis ſubjacebunt. In victu frugalitatem, in veſtitu Clericalem modeſtiam, & munditiem paritèr commendamus; quemadmodùm enim per luxum pauperibus & Eccleſiæ DEI, non ſine ſæcularium ſcandalo, ſubtrahitur, id quod vanitati litatur;

 ita

(k) Math. 5. (l) Tit. 2. (m) Theſal. 5. (n) 2. Cor. 6.

ita ſordities exterior malè compoſiti intus animi, abjectæq; mentis indicium eſt. Tonſuram unuſquiſq; Ordini ſuo competentem geſtet, veſtes etiam ac pileos alterius quàm nigri coloris (præterquàm in itinere) deferre nemini liceat. Itinerantibus verò Clericis, quàmvis nonnunquàm veſtium exteriorum ac pileorum alterius coloris uſus indulgeri poſſit, nunquam tamen omnes ſtatûs ſui notas ac inſignia abjicere aut occultare liceat, ut his etiam exterioribus ſignis in modeſtia ac gravitate, ſicut decet Sanctos & altarium Miniſtros contineantur. Familiam alant non ſuperfluam, nec diſcolam, ſed benè ac laudabiliter moratam, & quæ in veſtitu, cultu & omnibus actionibus honeſtatem præſeferat; ſicut decet Miniſtros Miniſtrorum DEI. Curent præterea, ut teſtimonium habeant bonum, etiam ab his qui foris ſunt, ſicq; inter homines verſentur, ne in opprobrium incidant, & in laqueum diaboli: & ideò tabernas compotandi gratiâ non adeant: commeſſationes & convivia ſæcularium, præſertim ubi choreæ miſcentur, non frequentent. Nulla arma offenſiva deferant, vel deferri poſtſe á famulis faciant, præterquam in itinere; Sæcularibus negotijs non ſe implicent. Judicijs capitalibus non interſint, quin nec ſpectaculis ſuppliciorum, niſi confortandi puniendos gratiâ; Deniq; ita vitam & mores ſuos domi foriſq; componant, ut habitu, geſtu, inceſſu, ſtudijs, ſermone, & actibus omnibus nihil, niſi gravè moderatum & religione plenum præſeferant; ſicq; doctrinâ & exemplô luceant hominibus, ut debitam apud illos ſibi & ordini ſuo concilient venerationem, normamq; eiſdem ac vivum exemplar, piè & ſanctè vivendi ſe ipſos exhibeant.

Sequens punctum quod reſpicit Regulares, quilibet Parochus, intra cujus Parochiæ limites Religioſi cujuſcunq; Ordinis reperiuntur, ſivè impreſſum, ſivè tranſcriptum de verbo ad verbum, in præſentia duorum teſtium, ad manus Superioris cujuſvis Communitatis Religioſæ tradat, & exemplar hujuſce Epiſtolæ impreſſum, & authenticum eidem demonſtret. Teſtimonium verò de hac intimatione legitimè juxta præſens mandatum facta, manu propria ſubſcriptum, cum expreſſione Diei, Menſis & Anni, quò dicta intimatio peracta fuerit, ad Nos Officiumq; Noſtrum quàm primùm poterit tranſmittat. Idem etiam præſtare tenebitur Parochus reſpectu Monialium, ſi intra fines Parochiæ ſuæ reperiantur, illis enim punctum quod ad eas dirigitur, eodem modo intimare debebit.

XXII. DeRegularib'

REgulares omnes intra fines Diœceſis Noſtræ degentes, quos tanquam cooperatores in vinea Domini, paternô affectu complectimur, perſvaſos eſſe volumus. Nos eorum jura atq; Privilegia, à Sede Apoſtolica eis legitimè conceſſa, dùmmodò revocata non fuerint, nè dùm ſarta tecta ſervaturos, ſed etiam operam daturos, nè à quopiam infringantur: cæterum minimè dubitamus, eoſdem viciſſim in illis omnibus, in quibus juriſdictioni Noſtræ, vel tanquam Ordinariæ, vel tanquã à Sede Apoſtolicâ delegatæ ſubjecti ſunt, reverentiã ac obedientiã Nobis ut eſt par exhibituros: ſpeciatim verò in ijs, quæ ſequentibus punctis continentur.

I. Cum juxta Concilij Tridentini (7) & Summorum Pontificum (8) ſtatuta, nullus Sacerdos Regularis poſſit Confeſſiones Sæcularium, etiam Sacerdotum audire, niſi aut Parochiale beneficium obtineat, aut ab Epiſcopo loci per examen, ſi illi videbitur eſſe neces-

(7) Seſs. 23. de Ref. C. 25. (8.) Clemens X. in Conſt. quæ incipit *Superna.* 1670. Gregorius XV. in Conſt. quæ incipit *Inſcrutabili* 1622. Nonis Febr.

necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur obtineat, Privilegijs & consvetudine quâcunq; non obstantibus. Ideò omnibus Religiosis cujuscunq; Ordinis & Instituti, sub nullitate dandæ absolutionis prohibemus, nè Confessiones Sæcularium etiam Sacerdotum excipere audeant, nisi à Nobis aut Officio Nostro ad id approbati fuerint. Illi verò Regulares, qui à Prædecessoribus Nostris ad audiendas Confessiones approbati sunt, intra Mensem à publicatione præsentium, sub nullitate ut dictum est absolutionis post elapsum unius Mensis spatium dandæ, à Nobis, aut Vicario Nostro, novam approbationem procurare teneantur. Nemo quoq; Regularium, Confessiones Monialium, etiam regimini sui Ordinis subjectarum excipere possit, nisi ad id specialitèr & expressè à Nobis fuerit approbatus; hujusmodi verò approbationes omnes ad Confessiones quascunq; excipiendas semper in scripto, idq; gratis concedèntur.

II. Cùm ea dẽ SS. Synodus Tridentina (9.) præscripserit quæ nam á Regularibus sive in proprijs, sive in alienis Ecclesijs prædicare volentibus o bservanda sint. Clemens verò X. Pontifex Maximus (10.) id disertiùs explicaverit his verbis: *Hâc Generali & perpetuò valiturâ Constitutione decernimus & declaramus. Regulares qui in Ecclesijs suis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diœcesano benedictionem petere. Quod si Episcopus contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesijs licere Regularibus prædicare, eosquè contravenientes ab illo tanquam Sedis Apostolicæ delegato, censuris alijsquè pœnis Ecclesiasticis; in vim Constitutionis fel. recor. Gregorij XV. Prædecessoris Nostri incipientis.* Inscrutabili DEI Providentiâ, *coërceri & puniri posse, & hujusmodi Benedictionem teneri, etiam Regulares petere, si in quibuscunquè Oratorijs sui Ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesijs aut ad Crates Monasteriorum Sancti-Monialium eorum Jurisdictioni subiectarum, licet januis clausis, & nullus secularis ibi intersit, habere voluerint. Posse autem Episcopum licentiam concessurum Regularibus in Ecclesijs, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare volentibus, illos quamvis ab universitatibus vel à Magistratibus laicis nominatos, etiamsi Episcopi Antecessores, per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consveverint quò ad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio quod moderatum & discretum esse debet, visum fuerit: & licentiam prædicandi semel ijsdem concessam, ob rationabiles causas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes suspendere.* His Sanctionibus insistentes, volumus & mandamus, ut Regulares omnes, post acceptam de literis præsentibus notitiam, in Eclesijs sive proprijs, sive alijs quibuscunq; prædicare volentes, intra spatium unius mensis ab accepta hujusmodi notitia, coram Nobis aut Vicario Nostro benedictionem aut licentiam prædicandi petituri compareant; quod si id non præstiterint, extunc sibi esse à prædicatione noverint interdictum. Eos porrò quibus prædicandi Evangelij Provincia mandabitur, paternè monemus & hortamur ne prædicaturi (: ut inquit Apostolus. (o.) *Verbum auditus DEI* prædicent illud, *ut verbum hominum, sed sicut est vere verbum DEI:* ne *doctas* ut Princeps Apostolorum ait (p.) *fabulas secuti* profana pro sacris, falsa pro veris venditent: ne scripturæ verba, sensumquè à Spiritu DEI intentum, ab Ecclesia probatum, à Patribus traditum, textus mutilando & verba ipsa contorquendo corrumpant: ne inanibus sonis, vocibusquè sine mente aures, demulceant. Ut historias non nisi

 pro-

(9) Sess. 5. de Ref. Cap. 2. & Sess. 24. de Ref. Cap. 4. (10) Constit. quæ Inipito *Superna*, 1670. (o) 1. Thesal 2. (p) 2. Petr. 1.

probatas uſurpent, nugis autem leporibus & facetè dictis, pigmentis item ac ceruſſis verborum, quæ gravitatem Evangelij dehoneſtant potiùs quàm ornant, abſtineant omninò; verbo, ut ſanam ſalutaremquè doctrinam quæ ad myſteria fidej explicanda & roboranda, ad mores populi corrigendos, ad inſerendas animis fidelium virtutes, ad vitia extirpanda unicè tendant, in Cathedra veritatis tradant, ſi verò quis ex illis quod abſit propoſitiones aliquas in obvio quem præſeferent ſenſu, Hæreticas, hæreſi proximas, erroneas ſcandaloſas, blasphæmas, malè ſonantes, piarum aurium offenſivas ſermoni ſuo inſpergat, non ſolùm à prædicando interdicetur, ſed etiam ad eas publicè è ſuggeſtu revocandas adſtringetur.

III. Nova miracula ad templa, imagines aut reliquias quorumcunq; Sanctorum, niſi ſint recognita atq; adhibito Theologorum conſilio à Nobis approbata; Regulares ne publicent; votaq; oblata à fidelibus hoc Nomine non recipiant nec appendant, niſi facto & circumſtantiis ejus benè examinatis, & teſtimonio fide dignorum probatis, quæ in peculiari libro diligenter deſcribantur.

IV. Omnes & Singulos Regularium Superiores quocunquè Nomine & titulo cenſeantur, hortamur & obſecramus in Domino, ut ſubditos ſuos in officio, debitâq; regularitate ac morum puritate contineant. Si qui Regulares extra Clauſtrum degant, (quod nonniſi ex gravibus cauſis, deq; ſuperiorum licentia fieri debet) ſecundùm ordinationem SS. Synodi Tridentinæ (11.) juriſdictioni Noſtræ, tanquam delegati Apoſtolici, quò ad correctionem, pænasq; ſi delinquant ſciant ſe eſſe ſubiectos. Illi verò qui intra clauſtrum degunt, ſi extra clauſtrum delictum aliquod committant, juxta ejuſdem Synodi decretum. (12.) à ſuis proprijs Superioribus, ad inſtantiam noſtram, & intra tempus à Nobis præfigendum, puniendi ſunt, ac de huiuſmodi punitione dicti ſuperiores certiores Nos reddere tenentur, alioquin Nos ipſi, ſecundùm poteſtatem à præfato Concilio nobis datam, ad eos puniendos procedemus.

V. Omnes quoq; Regulares cujuſcunq; Ordinis, Inſtituti aut Societatis, etiam JESU, monemus, ut ad normam Conſtitutionis Gregorianæ (*) in Synodo Provinciali Petricovienſi 1628. publicatæ, intra menſem à publicatione præſentium, Judices conſervatores è numero Judicum Synodalium ſibi eligant. Quod ſi id facere neglexerint, juriſdictioni Noſtræ ſciant ſe fore ſubjectos.

VI. Nemo Regularium audeat quemquam directè, aut indirectè, perſe vel per ſubordinatas perſonas, quôvis quæſitô colore, aut prætextu, etiam habitûs Religioſi, tertij ordinis, aut ſodalitatis ſeu Confraternitatis cujuspiam, ad eligendam in ſuis Eccleſijs ſepulturam, aut electam non immutandam inducere, idquè ſub pænis in jure ſtatutis videlicet (*) *nullitatis hujuſmodi Electionis; reſtitutionis tam corporum Sepultorum (ſi petantur) quàm omnium eorum, quæ occaſione talis ſepulturæ ad dictos Regulares pervenerint; quam reſtitutionem niſi fecerint, Eccleſiæ ipſæ apud quas ſepulti fuerint, necnon & Cæmeteria earundem, extunc eo ipſo erunt & tamdiu manebunt Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, donec ab eis facta fuerit reſtitutio plenaria omnium prædictorum.* Neminem itaq; illis in Eccleſijs ſuis, vel earum cæmeterijs ſepelire liceat, præterquam illos, qui ibidem ſepulchra majorum ſuorum habuerint, aut qui voluntariè ac liberè apud illos ſepulturam elegerint: de qua electione vel per teſtamentum, vel ſaltem per duos teſtes fide dignos docere Rectorem

(11.) Seſſ. 6. de Ref. Cap. 13. (12.) Seſſ. 25. de Regul. (*) Conſtit Gregorij XV. 20. ſept. 1621. (*) Cap. animarum periculis titulo XII. de ſepult. l. 3. 6ti Decr.

rem Parochiæ intra cujus fines mortuus quis eſt, teneantur. Corpora defunctorum etiam illorum, qui apud i los, ut dictum eſt, ſepeliendi erunt non vocato Parocho, & ſine Cruce Parochiali levare, & ad Eccleſias ſuas deferre non audeant. Sacroſanctum Viaticum & extrema unctio à Regularibus adminiſtrari, præterquam perſonis in jure exceptis, non debet; idquê ſub pæna excommunicationis in jure ſtatutâ. Quod ſi aliquis Regularium ad audiendas confeſſiones approbatus, ad infirmum vocatus fuerit, ejusq; Confeſſionem exceperit, eâ de re Parochum loci certiorem reddere tenebitur, ſaltem per ſcripturam apud ipſum infirmum relinquendam. (13.)

De Oratorijs privatis.

VII. Juxta tot ſummorum Pontificum decreta (14.) in domibus privatis Miſſas, nulli ſacerdoti etiam Regulari celebrare licet, niſi ad id ſpeciale à Sede Apoſtolica, vel á Nobis privilegium conceſſum ſit; & ubi hujuſmodi privilegium habetur, ejus uſus tamdiu ligatus eſt, donec ad id locus decens, & alijs uſibus minimè ſerviens, à Nobis, aut ijs quibus hanc Provinciam committemus, reviſus & dignatus ſit. (15.) Porro ſtante etiam privilegio hujuſmodi, & loco ritè reviſo & deſignato, feſtis Solennioribus, quæ in talibus privilegijs excipi ſemper ſolent, Miſſa ibidem celebrari nequit; cæteris verò diebus feſtis, auditio hujuſmodi Miſſæ in oratorijs privatis ad implendum de audienda Miſſa præceptum ijs duntaxat ſuffragatur, quibus id in præfato privilegio nominatim conceſſum reperitur.

De oſculo patenæ.

Oſculum patenæ poſt Miſſam, etiam à Capellanis ad aulas magnatum agentibus, nemini offeratur, præterquam Regi ejuſquè Familiæ, necnon Fundatoribus & Collatoribus, in Eccleſijs quarum Fundatores aut Collatores ſunt; minimè verò alijs perſonis laicis, in quacunq; dignitate conſtitutis, etiamſi fuerint inſignes locorum Benefactores; honore iſto ijs ſolis reſervato, qui Eccleſiam aut Monaſterium de novo fundârunt, vel hujuſmodi Fundatorum directi hæredes & ſucceſſores ſunt, idquè ſub pænis arbitrio Noſtro irrogandis. Cæterùm ne iſtis quidem, hujuſmodi oſculum exhibendum erit, niſi prope altare, in quo celebratur, adſint. Sacerdotem enim in habitu ſacro per Eccleſiam circumcurſare indecens omninò eſt.

VIII. Regulares peregrè euntes, ſi velint ad Miſſam celebrandam admitti, obedientiales ſuorũ Superiorũ, ſi verò Confeſſiones etiam excipere velint, etiã approbationẽ ad eas excipiendas; vel certè de dicta approbatione teſtimoniũ ſecum deferant: alioquin ſciant ſe à Parochis nec ad celebrationem Miſſarum, nec ad excipiendas Confeſſiones eſſe admittendos.

De Indulgẽtijs publicandis.

IX. Inſiſtentes decreto Concilij Tridentini (16.) prohibemus Regularibus, ne ullas etiam in ſuorum Ordinum Eccleſijs indulgentias, ſivè in perpetuum, ſivè ad tempus conceſſas, publicare audeant; niſi eas priùs Nobis aut Vicario Noſtro exhibuerint, easq; publicandi facultatem obtinuerint. Ubi verò tempus, pro quo indulgentia aliqua conceſſa eſt, elapſum fuerit, nullatenùs dicta indulgentia publicetur, niſi nova denuò procurata, Nobisq; exhibita fuerit. Prohibemus deniquè, ne quis unquam præſumat indulgentiam à pæna & culpa publicare, cùm id ſanæ doctrinæ, traditioniquè Apoſtolicæ penitùs adverſetur.

 X. Cum

(13) Clemens X. in cit. Bulla: Superna. (14.) Clemens XI. Conſtit. 15. Sept. 1703. (15) Trid. Seſs. 22. in Decr. de obſervandis in Celebr. Miſs. (16.) Seſs: 21. Cap. 9.

De expoſitione Sanctiſſimi SACRAMENTI.

X. Cum expoſitiones Sanctiſſimi SACRAMENTI, jam fermè, quod abſque dolore cogitare non poſſumus, per nimiam frequentiam viluerint; inhærentes decreto Innocentij X. pro Regno Poloniæ hac de re emanato, (17.) diſtrictè prohibemus, ne in ulla Eccleſia, tam ſæculari quàm Regulari, abſq; Noſtra vel Vicarij Noſtri ſpeciali licentia, in ſcriptis concedenda, expoſitio Sanctiſſimi SACRAMENTI, aut cũ eòdem Proceſſio fiat, præterquàm diebus ſequentib9, videlicet: in feſto & per Octavã Corporis Chriſti. In feſto Titularis. Eccl: In feſto Fundatoris alicujus Ordinis Regularis, in Eccl: nimirũ ejuſdem Ordinis: non autem in feſtis aliorum Sanctorum ejuſdem Ordinis. Diebus illis in Quadrageſima, quibus in aliqua Eccleſia fit devotio, quæ *Paſſio* vulgò nuncupatur. In ijs Eccleſijs in quibus Confraternitates ſub invocatione B.V. MARIÆ inſtitutæ ſunt; ſi talis vigeat conſvetudo, in quinq; principalibus ejusdem Sacratiſſimæ Virginis feſtivitatibus, nimirum Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis; ubi verò Confraternitates ſub invocatione alterius Sancti legitimè erectæ ſunt, licitum erit in die Principalis Patroni huiuſmodi Confraternitatis, à primis veſperis ad ſecundas, in aliorum verò quatuor Patronorum, qui communiter adjungi ſolent, feſtis, expoſitionem & Proceſſionem cum Sanctiſſimo SACRAMENTO de manè duntaxat peragere. Quod ſi quis extra præfatos dies, abſq; obtenta à Nobis, ut præfertur, licentia ſpeciali, expoſitionem Sanctisſimi SACRAMENTI in Monſtratorio, ut vocant inſtituere præſumpſerit, Nos in id ſeriò animadvertemus. Quia verò quædam Confraternitates, alternis ferè Dominicis, præfatas expoſitiones inſtituere conſveverunt; Jus, aut privilegium in quo hæc conſvetudo fundatur, Nobis aut Vicario Noſtro exhibere tenebuntur, atquè donec id præſtent ab hujuſmodi expoſitione abſtinebunt. Extra clauſtra Proceſſiones peragere Regularibus, generatim vetitum eſt: (18.) niſi ſpeciali privilegio, Tridentinâ Synodô poſteriori id eis conceſſum ſit. Quare aut de hujuſmodi Privilegijs docere, aut à dictis Proceſſionibus abſtinere tenebuntur. In hoc quoquè abuſus nonnullos irrepſiſſe accepimus, quòd in quibuſdam Eccleſijs, ubi conſecutivis diebus Sanctiſſimum SACRAMENTUM exponi ſolet, ab una die ad aliam, vel certè à Miſſâ Conventuali ad veſperas, idem Sanctiſſimum SACRAMENTUM ſervetur in Sacrario, ſeu ut vocant Sacriſtia, ubi irreverentiæ multæ committi ſolent. Ut ergo huic incommodo occurratur, præcipimus ut deinceps in Tabernaculo ad hunc uſum in ipſa Eccleſia deſtinato, præfatis horis Sanctiſſimum SACRAMENTUM ſervetur.

XI. Exorciſtatûs officium nemo exercere audeat, niſi ad id à Nobis, aut Vicario Noſtro expreſſam in ſcriptis habuerit facultatem. Illis verò quibus hæc facultas concedetur, cujuscunq; alterius Ritualis præterquàm Romani, & in hoc Regno per conſtitutiones Synodales approbati, necnon precationum, ceremoniarum, obſervationum, balneorum, unctionum ſuperſtitionem, redolentium uſum ſeverè, ſub pænis pro gravitate delicti infligendis interdicimus.

XII. Superiores Regulares ad quos ſpectat, ſubditis ſuis ad Ordines promovendis literas dimiſſoriales concedere, juxta Conſtitu-

(17.) Ann. 1645. ad calcem conſtit Synodi Prov. Gneſn. Varſaviæ celebratæ anni 1643. pag. 50. (18.) Breve cit. Innocentij X. pro Regno Poloniæ.

ſtitutionem Clementis VIII. (19) eas dirigere tenentur ad Epiſcopum, in cujus Diœceſi exiſtit Monaſterium, in quo degunt, qui ordinandi ſunt; niſi fortè Epiſcopus à Diœceſi ſua abeſſet, vel non eſſet habiturus Ordinationes, aut Sedes Epiſcopalis vacaret. In his enim caſibus, dummodò præfati Superiores Regulares conceſſionem dimiſſorialium ad id tempus de induſtria non diſtulerint, ordinandi dirigi poſſunt ad quemcunq; alium Epiſcopum; expreſsâ tamen in dimiſſorialibus ratione abſentiæ Epiſcopi, vel Ordinationum ab ipſo non habendarum. Cujus quidem Apoſtolici Statuti, Nos in promovendis ad Ordines Regularibus, rationem ſemper habebimus.

XIII. Hortamur inſuper omnes Regulares, nè in jura Parochialia involvant, & nè dandis benedictionibus, quæ à Parochis, eorumvè Vicarijs dari ſolent, quales ſunt benedictiones ædificiorum novorum cum ſtola, eſculentorum in Paſchate, Neo-ſponſorum antequam Matrimonium contrahant, Mulierum poſt partum & ſimiles, ſeſe ullo modo ingerant, declaramuſq; in his omnibus, Nos Jura Parochialia, contra omnes contravenientes pro muneris Noſtri debito aſſerturos & defenſuros.

XIV. Rogamus deniq; Superiores quorumcunq; Ordinum, ut cùm à Parochis locorum, præſertim in majoribus ſolennitatibus, in quibus ipſi Parochi confluenti populo ſatisfacere nequeunt, invitati fuerint, ut eos in excipiendis confeſſionibus, vel alijs miniſterijs adjuvent, id benevolè & promptô animô præſtare non dubitent.

Articulus ſequens dirigitur ad Sanctimoniales.

XXIII. De Monialibus.

JEżeli Dźiewice BOGU poświęcone ſą, według słow Swiętego Cy-„ pryana, nayprzednieyſzą trzody CHRYSTUSOWEY cząſtką „ nayoſobliwſzego też Przełożonych Kośćielnych ſtáránia y pieczy„ potrzebuią, áby według przypowieśći Ewángeliczney, człowiek„ nieprzyiázny, upatrzywſzy czas, kiedy ludźie śpią, ná roli Pań-„ ſkiey między wybornym źiárnem, kąkolu nie posiał. Zaczym„ czyniąc zádoſyć powinnośći Naſzey Paſterſkiey, y uſtawom Ko-„ śćioła Swiętego, zachowánie należytey, w Kláſztorach Pánieńſkich„ regulárnośći, pilno zálecamy y ſurowie przykazuiemy. „

A naprzod. Ponieważ Swięty Synod Trydentſki kláuzurę Klá-„ ſztorow Pánieńſkich śćiśle obwárował, y Biſkupom, aby iey pilno„ przeſtrzegali, w tych nawet Kláſztorách, ktore pod Przełożonemi„ Zakonnemi zoſtaią, pod ſurowym ſądem Boſkim zlećił, ſtoſuiąc się„ do tego práwá, zákazuiemy pod klątwą, w ktorą ſamym uczyn-„ kiem bez żadney inney deklárácyi przeſtępcy wpadną, áby żá-„ dna Zakonnica z Kláſztoru, bez wyraźnego pozwolenia Naſzego,„ ná piśmie otrzymanego, wychodźić nie śmiáła: także, áby nikt„ pod takowąż klątwą, nawet z białych głow do Kláſztoru Pánień-„ ſkiego wchodźić, álbo wniść chcących, puſzczać nie ważył się,„ bez takowegoż pozwolenia. Jednakże ná weyśćie Spowiednikow,„ Lekarzow, Cyrulikow, Rzemieśnikow, y innych ktorych uſługa„ do Kláſztoru weyśćia koniecznie potrzebuie, doſyć będźie, áby„ Przełożone Kláſztorne generálną od Nas ná piśmie otrzymały li-„ cencyą; tego pilnie przeſtrzegaiąc, áby pomienionych Oſob do„ Kláſztoru nie przypuſzczały, tylko kiedy tego prawdźiwa wyćią-„ ga

(19.) 15. Martij 1596.

„ga potrżeba, także, áżeby też Osoby tamże śię dłużey nád po-
„trzebę nie bawiły, áni w żadne z Zakonnicami rozmowy nie wda-
„wáły. Swieckie Pánny ná ćwiczenie do Kláfztoru przyięte bydź
„nie powinny, ktore ieszcze śiedmiu lat nie dokończyły. Te zaś
„ktore lat dwádźieśćia pięć maią, w Kláfztorze trzymane bydź nie
„powinny. Zadnych Pánien, chyba zá zgodnym Zgromádzenia Kla-
„fztornego konsensem y Przełożonych pozwoleniem przyimowáć
„śię nie godźi. Pomienionym Pánnom Swieckim ná ćwiczeniu zo-
„staiącym, Zakonnice wyiśćia zá kláuzurę, nawet do Kośćioła Klá-
„fztornego pozwáláć nie powinny, á ieżeliby raz wyszły, nazad
„przyięte bydź nie maią. Krata zawsze zamknięta bydź powin-
„na, y u otwartey kraty, álbo drzwi Kláfztorne otworzywszy, ro-
„zmawiáć Zakonnicom cale ieft zakazano. Przełożone zaś prze-
„strzegać powinny, áby Zakonnice u kraty choćiaż zamknięteу,
„wszeláką záchowáły modeftyą, y tam śię nád potrzebę świeckie-
„mi nie zábáwiáły rozmowámi; śmiechow, żartow, y tego wszyt-
„kiego, coby zá sobą iakie w ludźiach świeckich pociągnąć mo-
„gło wzgorszenie, pilno śię wyftrzegaiąc. Kędy ten świątobli-
„wy zachowuie śię zwyczay, áby ta, co do kraty idźie, miała za-
„wsze przy sobie Towárzyszkę, ktoraby wszyftko widźieć y flyszeć
„mogła, co śię u kraty dźieie y mowi, áżeby śię to wiernie zacho-
„wáło, Przełożone doglądać powinny. Kędy zaś tego zwyczaiu
„nie masz, przynamniey áby śię Zakonnice przy kraćie dłużey nad
„czas Regułą opisany nie bawiły, y dla rozmow, od choru y in-
„nych powinnośći Zakonnych nie ábsentowáły, Przełożone prze-
„strzegać maią.

„ *Powtore*. Dla uyśćia wielu inkonweniencyi, według usta-
„wy pomienionego Synodu Trydentskiego, procz Spowiednikow
„ordynáryinych, ktorzy od Nas na to wyraźnie ápprobowáni
„bydź powinni, dwa álbo trzy razy do roku extraordynáryiny Spo-
„wiednik, także od Nas álbo Officyáła Naszego ápprobowány ma
„bydź náznáczony, przed ktorym wszyftkie Zakonnice spowiádać
„śię, álbo przynamniey przed nim u Spowiednice ftawić śię powinny.

„ *Potrzećie*. Wprzod niżeli Poftulántkę do habitu, álbo No-
„wicyuszkę do Professyi przypuszczą, powinny Nas o tym ná Mie-
„śiąc przed Obłoczynami y przed Professyą uwiádomić, áżeby
„takowa Probántka lub Nowicyuszka od Nas, álbo ieżelibyśmy
„sami tego uczynić nie mogli, od kogo z rámienia Naszego exá-
„minowáná była.

„ *Poczwárte*. Wszytkie Zakonnice wiedźieć powinny, że Swięty
„Synod Trydentski wydał klątwę ná tych wszytkich, ktorzy Pán-
„ny albo iakiekolwiek białegłowy do weyśćia do Kláfztoru, do
„przyięćia habitu, lub uczynienia Professyi przymuszaią, y kto-
„rzy śię do tego iakimkolwiek sposobem, iáko to powágą, przy-
„tomnośćią, rádą, lub zezwoleniem swoim przykłádaią. Tako-
„wa klątwa wydáná ieft ná tych wszytkich, ktorzy przećiwnym
„sposobem bez flusznych racyi y przyczyn białeygłowie iakiey,
„weyśćia do Klafztoru, przyięćia habitu, y uczynienia Professyi
„zabrániáią. Rodźice iednak, ktorzy chcą lepiey ducha Corek swo-
„ich sprobowáć, do domow swoich one wźiąć, y weyśćie do Klá-
„fztoru, ieżeli im śię tak zda według BOGA, do lat zupełnych,
„do ktorych według práwa, dźieći zupełnego nád sobą práwa nie
„maią, odłożyć mogą; w czym Corki ná poszanowánie Rodźi-
com,

com, według przykázánia Boſkiego winne pamiętać, y Zakonnice tę obligácyą przed oczy im kłáść powinny.

Pçpięte. Swięty Synod Láterańſki Przełożonym Kláſztorow Pánieńſkich, należycie w dochody opatrzonych ſurowie zakazał, áby w przyimowániu Pánien do Kláſztoru, Symonij álbo Swiętokupſtwa, wyciągaiąc od nich, álbo ich Rodźicow y Krewnych poſagow, lub innych Summ pieniężnych, popełniáć nie ważyły się. Dla czego ſurowie pod kárą ná tych, ktorzy Swiętokupſtwo popełniaią, w Synodzie Trydentſkim náznáczoną, zákázuiemy, áby Zakonnice, przyimuiąc Pánnę do Kláſztoru tákiego, gdźie liczba Zakonnic według fundacyi y nádanych dochodow zupełna nie ieſt, żadnych od niey, álbo iey Krewnych zapiſow, poſagow, lub iakieykolwiek Summy pieniężney nie wyciągały. Y ieżeliby ktore tego się ważyły, wiedźieć maią, że tym ſamym z urzędow, ná ktorych zoſtaią, ſpádaią, y ná potym do żadnych innych urzędow (według uſtaw Kośćielnych (20) ſpoſobne nie będą. Jednakże ieżeliby ktora takowa Pánna lub iey Krewni z dobrey woli ſwoiey bez żadnego przymuſzenia iaki zapis Kláſztorowi uczynić, álbo Summę iaką dać chćieli, przyiąc wolno będźie. Kiedy zaś Pánna iaka nád liczbę, ktora się z dochodow Kláſztornych wyżywić może, przyięta bydź pragnie; ná ow czas poſagu Proporcyonalnego (ktory się po śmierći teyże Pánny, chyba żeby go dobrowolnie przed Profeſſyą na dwa Mieśiące, Kláſztorowi ná zawſze uſtąpiła, do iey Krewnych powrácać powinien) upomnieć się, álbo konwencyą o tym uczynić práwo nie zábránia.

Poſoſte. Zakonnicom wſzytkim pod Juryſdykcyą Naſzą zoſtaiącym zákazuiemy, ażeby Summ Kápitálnych do Kláſztorow ſwoich należących lokowáć, Dobr ſwoich w Arendę więcey niż roczną puſzczać, y tym podobnych tranſakcyi czynić bez wiádomości Naſzey nie ważyły się, y ieżeliby się kiedy to trafiło, procz tego, że takowe ákty żadney wagi mieć nie będą, Xięni, Przeoryſza, y Konſyliárki od Urzędow ſwoich tym ſamym ſuſpendowane będą, poty, poki od Nas abſolucyi nie otrzymaią: gdyż nieoſtrożnym takowych Summ lokowániem, álbo dobr Arendowániem, Kláſztory Pánieńſkie nayczęśćiey do niedoſtatku y ruiny przychodzą.

Pośiodme. Ná koniec, ponieważ Zakonnicom ktore ślub uboſtwa uczyniły, nie godźi się nic włáſnego trzymać álbo zachowywać, ále wſzytko cokolwiek im dano, álbo darowano będźie, ná Kláſztorną potrzebę obrócić się powinno; ſłuſzna rzecz, áby Przełożone, ktore tego doglądać powinny, wſzytkie rzeczy do odźienia, pożywienia, y w chorobie do ratowánia zdrowia potrzebne, Zakonnicom ſwoim prowidowáły; áby tym ſpoſobem pretext y okázya do przeſtępſtwa ślubu uboſtwa odięte były.

Quæ ſequuntur puncta, à Parochis populo ad divina congregato, bis in anno è ſuggeſtu legantur: ſcilicet in Feſto Sancti LAVRENTII & Dominicâ Septuageſimæ.

XXIV.

ZAden z dobrych Kátolikow bez żalu, á żaden Heretyk, lub niewierny, bez wzgorſzenia patrzyć nie może na gwałcenie dni

G

(20) Concil. Lateran. IV. ſub Innoc. III. C. 64. Conc. Trid. Seſs. 25. de Regul. Cap. 16.

De obſervatione Feſtorum.

dni Swiętych; ktore w Kráiu Naſzym, zwłaſzcza po wśiách y drobnych Miáſteczkach, iuż prawie we zwyczay poſzło: kiedy nie tylko targi y iarmarki, ále też pijatyki, ſwary y bitwy nayczęśćiey śię we dni BOGU poświęcone trafiáią: w czym Heretycy, y Zydźi nawet ſami, ktorzy tak nabożnie Swięta ſwoie obchodzą, záwſtydźić nas powinni. Chcąc tedy temu ile możnośći zabieżeć, naſtępuiące przeſtrogi, wſzytkich Dyecezanow Naſzych do nabożnieyſzego Swiąt zachowánia poprzyśięgaiąc, Paſterſkim áffektem daiemy.

A naprzod. Xięża Plebáni powinni według możnośći ſwoiey ſtarac śię, áby tym niezbożnym zwyczaiom zabiegli, zwłaſzcza ná Kazániach y Katechizmách częſto naucząiąc, ná co ſą Swięta poſtanowione, y iako zachowane bydź maią; także ná Spowiedźiach ſtrofuiąc, á ná oſtatek y rozgrzeſzenia nie daiąc tym, ktorzy w nałogu gwałcenia Swiąt, zwłáſzcza upijánia śię we dni Swięte zoſtaią, iąko też y tym, ktorzy śię częſto w takowe dni trunkámi gorącemi upijać zwykli, zá pokutę naznaczaiąc, áby śię od takowych trunkow przez znaczny czas wſtrzymali, y tym ſpoſobem zły nałog zwyćiężyli.

Powtore. Panow pod Sądem Boſkim obliguiemy, áby zbyteczną robocizną poddanych ſwoich obćiążaiąc, nie byli im przyczyną do gwałcenia Swiąt. Dla czego kiedy śię w iaki tydźień więcey niz iedno Swięto trafi, zá rzecz ſłuſzną ſądźiemy, áby śię poddanym ieden álbo drugi dźień robocizny potrąćił; zwłaſzcza ná tych mieyſcach, gdzie ciężką robociznę odprawowáć zwykli.

Potrzećie. Kiedy potrzeba właſna tego wyćiąga, áby śię we Swięto robota czyniła, naybardźiey podczas żniwa y śianożęći, zwłaſzcza w dzdzyſte czaſy; ći ktorzy takową robienia potrzebę maią, udać śię powinni o pozwolenie do Plebánow ſwoich; ktorzy kiedy ſłuſzną przyczynę obaczą, odmawiáć im tego nie maią; pod tą iednak kondycyą, áby w te dni zrána na Nabożeńſtwie Párafiálnym byli, álbo przynaymniey Mſzy wyſłuchali.

XXV. De Jejunijs.

ZAchowanie poſtow lubo generalnie do wſzytkich wiernych Chrześćián należy, iednakże naybárdźiey obowięzuię ludźi doſtatnieyſzych, ktorzy y pracy mniey y w wyżywieniu ćiáła więcey wygody mieć mogą; gdyż z temi ktorzy przy ćiężkiey pracy, ubogie maią wyżywienie, Kośćioł Swięty łaſkáwiey śię obchodźi. Jako tedy ludźi proſtych, ktorzy zachowuiąc ściśle poſty, inne rozmaite grzechy, iako to kradźieży, pijańſtwa, nieczyſtośći bez wſzelkiego ſkrupułu popełniáią, napominamy, áby śię ná poſtach ſwoich nie ubeſpieczali, y nie rozumieli, że ich to ſamo zbáwi, ieżeli innych przykazań Boſkich zachowywáć, y żyćia według boiaźni Boſkiey prowádźić nie będą, tak też ludźi doſtatnieyſzych, zwłáſzcza po Miáſtach y Dworach, pod Sądem Boſkim obowięzuiemy, áby wolnie y bez przyczyny poſty łamiąc, wzgorſzenia maluczkim nie dawáli; kto zaś dla właſney potrzeby, uwolnienia od tego przykazánia potrzebowáć będźie, poradźiwſzy śię Spowiednika y lekárza, do Nas y Officyała Naſzego, álbo też do ſwego właſnego Plebána po dyſpenſę udać śię powinien. Kiedy zaś otrzyma, innemi pobożnemi uczynkami iako to jałmużną, modlitwámi, y umártwieniem, nadgrodźić to powinien.

Zwy-

Zwyczay zaſtawiania we dni poſtne ſtołow mięſnemi potrawami, iako niegodziwy y kárnośći Kośćielney cale przeciwny potępiamy, gdyż y ci ktorzy w takowe dni maią pozwolenie zażywáć potraw zakazánych, czynić to prywatnie y bez wzgorſzenia powinni. W Wielki poſt rzeznicy w publicznych iatkach mięſa przedáwać nie powinni, y tego Xięża Plebani przeſtrzegáć máią, áby żáden z rzeznikow chyba otrzymáwſzy ná to pozwolenie ná piſmie, y to w iatkach zamkniętych, męſa ná ow czas przedawać nieśmiał.

XXVI. De Hæreticis.

POnieważ w trzodzie Naſzey znayduią śię inne owieczki, ktore według Słow Chryſtuſowych, nie ſą z tey owczarni; do ktorey áby przyprowadzone były ſerdecznie pragniemy: zabiegaiąc wſzelakiemu wzgorſzeniu y innym, ktore trafić by ſię mogły inkonweniencyom, do wiadomości wſzytkich podaiemy:

Náprzod że lubo według praw Koronnych, Luterſkiey y Kalwińſkiey Sekty Ludzie, o takową Sektę inqwietowani być nie powinni, ci iednák, ktorzy ſię w Katolickiey Wierze urodźili, gdyby ſię do takowych Sekt obrocić mieli, y ci ktorzyby ich do tego námáwiáli, lub przymuſzali, od ſądow tak Duchownego iako y świeckiego kárani być powinni.

Powtore. Publicznego obrządkow ſprawowania wſzelákich ſekt ludźiom w Xięſtwie Mazowieckim, z właſzcza w Mieśćie Warſzawie prawo Oyczyſte ſurowie zákázáło. Zaczym nikt ſię ważyć niema, tákowego co czynić, coby publicznym iakieykolwiek ſekty obrządkow ſprawowaniem názwáć ſię mogło. Jeżeliby záś co ſię tákowego trafiło, ci ktorzy to poſtrzegą z właſzcza Xięża Proboſzczowie y Plebani iáko náyprędzey nám álbo Officyałowi Náſzemu donieść powinni będą, ábyśmy temu iáko náyſkuteczniey zábieżeli. Nikt záś pod pretextem żárliwośći o Wiarę, wáżyć ſię niema lub ſłowem lub uczynkiem Dyſſydentow z iakieykolwiek racyi afrontowáć y nápáſtowáć, y ktoby ſię tego wáżył, y przez to do iákiego tumultu y bitwy dał okazyą, od Zwierzchności świeckiey iako buntownik według prawa káran będzie. Dla czego też ſtoſuiąc ſię do Uſtáw Kośćioła Swiętego (21.) pod karami w prawie wyrażonemi zákázuiemy ludziom świeckim, áby ſię nierozumną uwiedzeni żarliwośćią, zwłáſzcza przy ſtołách y piiatykách, w dyſputy y árgumenta o Wierze z heretykámi nie wdawáli: takowe álbowiem dyſputy, ktore zwyczaynie dáią okázyą do tumultow, zá zgwałcenie pokoiu publicznego miane, á zátym od Zwierzchności Duchowney, a nawet y świeckiey, w czym Magiſtratow świeckich, áby pilny dozor mieli upraſzamy, ſurowie kárane być máią, gdyż przez to zwyczaynie żaden ſię pożytek nie ſpráwuie, a czaſem ludźie prawowierni, á nieuczeni Wiárę ſwoię przez to w niebeſpieczeńſtwo podaią.

Potrzecie. Dyſſydenci Katolikom u śiebie ſłużącym ſłuchania Mſzy y Kazania Katolickiego we dni Swięte, tudźież zachowywánia poſtow zabraniać, a dáleko bardźiey do ſłuchánia Kazáń ſwoich, ieżeli ſię iakie taiemnie odprawuią przymuſzać niemáią. Sámi, zaś w zachowywániu wſzytkich Swiąt w tym kraiu Uroczyſtych, Kośćiołowi Swiętemu Katolickiemu konformować ſię powin-

G2

(21) Alex. IV. in C. *Quicunque.* De Heret. in 6.

winni, inaczey czyniący á do ſądu náſzego odnieśieni, według wielkośći winy, kárani będą.

Poczwarte. Jeżeli ſię kiedy trafi, że Dyſſydent z Katoliczką álbo wzaiemnie Kátolik z Dyſſydentką w małżeńſtwo wnidą, dziatki oboiey płci w Wierze Kátolickiey wychowane być máią, coſię rozumieć má y o tych, ktorzy w takim poſtánowieniu iuż od dawnego czáſu żyią.

XXVII. De Judæis.

LUbo Zydom w Warſzawie, y całey Ziemi Warſzawſkiey według oſtatniego Dekretu Trybunalſkiego, y owſzem w całym Mazowſzu według dawnych praw mieſzkać ſię niegodźi, że ich iednák ná innych mieyſcach prawa Koronne znośić y cierpieć káżą, tam gdźie ſię ludzie tego narodu znáyduią, Xięży Plebanom y PP. takowych mieyſc pilno zalecamy y przykazuiemy, áby im w iednychże z Chrześćianami domách mieſzkać, a daleko bardziey ná ucztach, tańcach, lub w łaźniach z niemi bywać, álbo ſłużebnic Chrześćiańſkich trzymać niedopuſzczali. Przy browarach iednak ludźi do pomocy náymować y przy karczmach dla wygody gośći lub męſzczyznę lub białągłowę 50. lat przynaymniey maiącą trzymąc im będźie wolno. Synagog nowych budować im ſię niegodzi, ſtárych zaś bez wiadomośći Naſzey naprawiać nie maią. Ciała zmarłych ſwoich ná mieyſce náznaczone taiemnie wynośić y grześć powinni, uſługi Chrześćiańſkiey do tego niezażywáiąc. Powinni także Swięta Chrześćiáńſkie záchowywać y Xięży Plebanom, gdzie taki ieſt zwyczay, nádgradzać ſzkody ztąd pochodzące, że ná tych mieyſcach mieſzkaią, ktore Chrześćianie przedtym ośiadali. Kiedy ſię Proceſſye Chrześćiańſkie odprawuią, Zydźi iak ie zbliżaiące ſię poſtrzegą, do domow wniść y tam drzwi y okna zamknąwſzy czekać maią, poki Proceſſya nieminie.

XXVIII. De Patronis Eccleſiarum earumq; reparatione.

WSzytkim do podania Xięży ná Plebanie y inne beneficya prawo maiącym, pilno zalecamy, áby gdy ſię trafi okazya, Oſoby godne pobożnośćią y cnotą znakomite podawali: upewniaiąc, że ieżeli kto náleżytych do ſtanu Kapłańſkiego przymiotow niemaiący od Kollatorow świeckich podany będźie, My przez ſumnienie przyiąć go, y ná beneficyum inſtitutować niemożemy. Przeſtrzegamy także tych, ktorzy ná beneficya prezenty daią, áby za to żadnych upominkow niebrali, ani w żadne kontrakty z temi ktorych podaią nie wchodźili: Nie tylko bowiem takie kontrakty ſámym prawem ſą nieważne, ále też czyniący ie, lub podarunki biorący, albo dáiący, w klątwę Papieſką ſamym uczynkiem wpadaią.

Powtore Ci, co podawaią Płebánow, ſą też obligowani Kośćioły do kollácyi ſwoiey náleżące ratować y reſtaurować, zwłaſzcza kiedy ná to dochody Plebańſkie iáko ſię wſzędzie prawie trafia, niewyſtarczaią. Jeżeliby zaś o to requirowani uczynić tego w potrzebie niechcieli, á kto inſzyby ſię znalazł, ktoryby do przebudowania zruinowanego Kośćioła z pobożnośći ſwoiey znácznie ſię przyłożył, takowy do podawánia weſpoł z dawnemi Kollátorámi Plebana, według prawa przypuſzczony będzie.

De decimis.

Potrzecie Tychże Kollatorow y innych wſzyſtkich, do ktorych należy

ży dźieśięćiny y czynſze Kośćiołom należące płáćić, po Oycowſku napominamy, áby pamiętaiąc ná Boſkie y Kośćielne práwo (ktore przećiwko inaczey czyniącym klątwę ſamemu Oycu Swiętemu rezerwowáną wydało) czynſze y dźieśięćiny do iakich práwem y zwyczaiem obowiązani ſą, wiernie oddawáli, ponieważ doświádczeniem widźiemy, że ci ktorzy dźiśięćiny ſługom Boſkim należące ſobie przywłáſzczaią y te dźiewięć częśći, ktorychby z błogosławieńſtwem Boſkim używáć mogli, zá przeklęſtwem iego tracą; że według ſłow Piſma Swiętego, zbiory ſwoie iakoby w wor dźiurawy kłádą, że śieiąc wiele, mało zbieráią; że Wſzechmogący Pan zákazuie Niebioſom, áby dzdzu dla takich nie ſpuſzczały, y źiemi, áby nie wydawáłá owocu ſwego; tak dalece, że się często trafia, że przy takowych złych zbiorach y dobrze nabyte rzeczy powodźiami, wichrami, ogniem y innemi przypadkami giną. Przećiwnym zaś ſpoſobem oświadcza śię Pan BOG przez Proroka mowiąc: (q) wnośćie wſzeláką dźieśięćinę do gumna mego, y niecháy będźie pokárm w domu moim, y doświádczayćie śię mnie, ieżeli nie otworzę wam upuſtow Niebieſkich, y ieżeli nie wyleię ná was wſzelkiego błogoſłáwieńſtwa aż do obfitośći, y zakażę pożeraiącemu áby nie psował owocu źiemi waſzey. Ja wyſłucham Niebios, á one wyſłuchaią źiemi, á źiemia wyſłucha pſzenice, wino y oliwę, á tego wſzytkiego używac będźie lud moy. (r) Ná ktore to pogróżki y obietnice Boſkie, wſzyſcy ći do ktorych wydanie dźieśięćin należy, pamiętać powinni.

XXIX. De miraculis, obſeſſis à dæmone, maleficis & ſtrigibus vulgò *Upirowie.*

